Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/systemasacrament0000vari

Systema Sacramentarium

Systema Sacramentarium

quod

ex notionibus de sacramentis in genere

exaravit et composuit

Johannes Bapt. Umberg S. J.
Professor in Universitate Oenipontana



1930
Oeniponte ❖ Typis et Sumptibus Feliciani Rauch

4520

»Systema sacramentarium« auctore P. Joh. B. Umberg S. J.

imprimi potest.

Viennae, 25. februarii 1930.

Aloisius Ersin S. J.
Praep. Prov. Austriae.

Nr. 4092.

Imprimatur.

Apostolica Administratura Oeniponte

Oeniponte, 25. VII. 1930.

Urban Draxl,
Provicarius.

Printed in Austria.

Index systematicus

Praefatio VII

Abbreviationes VIII

Caput I. De esse sacramentorum 1

Articulus I. De existentia septem novae legis sacramentorum 1
Articulus II. De sacramentorum effectibus necnon finibus . . 2
Articulus III. De sacramenti definitione 11
Articulus IV. De sacramentorum indole iuridica 14
Articulus V. De sacramentorum indole symbolica 17
Articulus VI. De sacramentorum indole practica 24
Articulus VII. De sacramentorum indole physica 28

Caput II. De sacramentorum necessitate 42

Articulus I. Notiones praeviae 42
Articulus II. De sacramentorum necessitate pro singulis . . . 48
Articulus III. De sacramentorum necessitate quoad Ecclesiam 52

Caput III. De sacramentorum susceptione 57

Articulus I. De sacramentorum susceptione mere spirituali seu „in voto“ 57
Articulus II. De sacramentorum susceptione reali seu „in re“ 61
Articulus III. De sacramentorum susceptione valida 62
Articulus IV. De sacramentorum susceptione fructuosa . . . 73
Articulus V. De sacramentorum susceptione infructuosa . . . 77
Articulus VI. De sacramentorum susceptione legitima 83
Articulus VII. De sacramentorum susceptione licita 85

Caput IV. De sacramentorum confectione et collatione 88

Articulus I. De sacramentorum confectione valida 88
Articulus II. De sacramentorum collatione legitima 105
Articulus III. De sacramentorum collatione licita 106
Articulus IV. De sacramentorum collatione obligatoria . . . 113

Index rerum systematicus 119

Praefatio.

Amice rogatus, ut ea, quae longo annorum decursu de re sacramentaria tam in diversis foliis periodicis quam in publicis praelectionibus protuli, composita in lucem ederem, re diu pensata, id tandem mihi agere visum est, ut ex iis, quae hucusque publicavi, ea, quae ad tractatum pertinent de sacramentis in genere, eligerem, electa componerem, composita complerem atque hac ratione ex notionibus de sacramentis genericis accurate perpolitis systema quoddam efformarem theologiae sacramentariae in genere tam dogmaticae quam moralis. Quo consilio id assequi me posse iudicavi, ut opusculum perficerem, quod ob indolem peculiarem et propriam nulla ratione aemularetur multa illa eaque egregia opera, quibus tractatus sive dogmatici sive morales exhibentur de sacramentis in genere.

Qua de causa abstinendum duxi ut plurimum a longis et protractis probationibus et satius esse ratus sum, in singulis Assertis brevissime remittere ad doctrinam Ecclesiae (et Patrum), quotiescunque fieri id licuit. De cetero adeo in animo est sententias referre in theologia communes, ut notam id significantem quam plurimis Assertis adicere supervacaneum putarem. Ubi nonnisi probabiles theologorum opiniones proposui, id expresse adnotavi. Sicubi autem ipsam theologorum doctrinam sive communem sive probabilem magis determinandam vel ulterius perficiendam censui, id voce, ut decet, modesta „videri“ indicare studui.

In astruendis porro illis Assertis, quae mihi veriora „videntur“, sequi conatus sum illa principia, unde omnis fere tractatus de sacramentis originem duxit; quorum primum hoc est: doctrina de sacramentis, sive in genere sive in specie, hauritur ex praxi ab Apostolis tradita et ab Ecclesia caute custodita; — alterum vero hoc: cum decursu temporum ex praxi sacramentaria complures haustae sint

habeanturque theoremata, ulterior in theologica scientia progressus efflorescere necessario debet ex theorematum tum inter sese tum cum praxi Ecclesiae comparatione.

Hisce nixus principiis notiones de sacramentis genericas excolere et quasi quaedam lineamenta componere studui, quibus systema efformaretur logice cohaerens ideoque perspicabile suaque luce sese insinuans. Quam feliciter vel secus, ii diiudicent, quorum interest.

Oeniponte, die 31. Julii 1930.

Auctor.

Abbreviationes:

C = Canon Codicis Iuris Canonici

CTr = Concilium Tridentinum

D = Denzinger-Bannwart, Enchiridion Symbolorum, Definitionum et Declarationum de rebus fidei et morum. Ed. 17—18, quam paravit Ioannes Bapt. Umberg S. J. 1928

R = Rouët de Journel M. J. S. J., Enchiridion patristicum. Ed. 5. 1922.

Caput I.

De esse sacramentorum.

Articulus I.

De exsistentia septem novae legis sacramentorum.

1. Assertum. *Septem, nec plura nec pauciora, sunt novae legis sacramenta vere et proprie dicta, omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Paenitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium.* (Dogma ex CTr sess. 7. de sacr. in gen., can. 1 [D 844]).

Explicatio. Numerus septenarius *non* intellegitur *de individuis* sacramentis, cum tot sint in individuo sacramenta, quot eorum sunt confectiones validae (et in Eucharistia species consecratae): nam Baptismus, quo Petrus baptizatur, est in individuo et numero alius a Baptismo, quo baptizatur Paulus, et ita porro. *Nec* numerus septenarius intellegendus esse videtur de unitatibus *specificis,* cum in Ordine tria sint sacramenta specifice diversa, videlicet Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus, qui Ordines conferuntur ritibus saltem quoad formam diversis itemque effectus producunt, ad unum quidem effectum integrum constituendum ordinatos, attamen inter se diversos. Et simile quid asserendum est de Eucharistiae sacramento, quod „in fieri" est verum sacramentum constans pane et vino tanquam materia necnon verbis consecratoriis tanquam forma, „in esse" vero constat ex corpore et sanguine Christi necnon accidentalibus specie-

bus panis et vini: sacramentum eucharisticum „in fieri“ est causa sacramenti „in esse“; quo patet hic haberi duo sacramenta specifice (saltem inadaequate) distincta.

Unde dicendum esse videtur numerum septenarium intellegendum esse de septem sacramentorum generibus: genera Baptismi, Confirmationis, Paenitentiae, Extremae Unctionis et Matrimonii non habent sub se diversas species, sed cum his plene coincidunt, Eucharistiae vero et Ordinis genera sub se habent species, hoc tres species Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus, illud Eucharistiae „in fieri“ et „in esse“.

Articulus II.

De sacramentorum effectibus necnon finibus.

2. Ex sacramentorum pluralitate specifica et generica illico sequitur sacramenta non eosdem habere effectus et fines, sed effectibus inter sese differre et finibus; supponere enim non possumus Deum Dominum nostrum sapientissimum ad eosdem prorsus effectus producendos eosdemque prorsus fines obtinendos diversa instituisse media.

3. Assertum I. *Distinguendum videtur inter sacramentorum effectus et fines.*

Explicatio. Effectus et fines secundum quid inter sese coincidunt, secundum quid discrepant. Sacramenti *effectus* id est vocandum, quod ipso solo sacramento ex opere operato producitur. Qui quidem effectus vocari potest sacramenti finis proximus. Melius autem videtur ab hac appellatione abstineri, ne synonyma multiplicata terminologiam reddant vagam. *Nomen finis* aptius illi reservanda videtur rei, *quae ex intentione Christi Domini mediantibus sacramenti effectibus obtinenda est.* Qui proinde finis obtentus duplici debetur causae: et effectibus sacramenti ex opere operato productis et libero ex parte hominis horum effectuum usui. Exemplo sit sacramentum *Ordinis,* quo ordinato confertur

potestas sacra hominibus sancta administrandi: quae potestas effectus est Ordinis ex opere operato productus. Finis vero Ordinis hic est, ut ordinatus libera cooperatione cum gratiis actualibus, quarum ius ex opere operato recepit, et libero usu potestatis sibi ex opere operato collatae alios homines sanctificet eosque hac ratione ad salutem perducat aeternam. Quare Ordinis *finis proximus* est aliorum hominum sanctificatio, *finis ultimus* salus hominum aeterna. Et sic similiter de ceteris sacramentis loquendum esse videtur, ut mox videbimus.

Effectus ergo sacramenti est id, *quod ipso solo sacramento ex opere operato producitur;*

Finis vero sacramenti est id, *quod ex intentione Christi mediantibus sacramenti effectibus obtinendum est;* quod hac ratione *proxime* est obtinendum, vocatur finis *proximus,* — quod *ultimo,* finis *ultimus.*

4. Assertum II. *Distinguendum est etiam inter sacramentorum effectus finesque communes et proprios.*

Explicatio. *Communis* omnium sacramentorum *effectus* est hominum sanctificatio; etenim I) natura (interdum etiam tempore) prius datur homini verum *ius ad gratiam* atque ad alios ipsi coniunctos effectus.

Certum id est quoad sacramenta characterem imprimentia *(Baptismum, Confirmationem, Ordinem)* eo saltem sensu, quod cum characteribus iunctum sit illud ius. Similiter idem ex theologorum sententia fere communi certum est quoad *Matrimonium,* cuius vinculo coniugali adnexum est illud ius. Moraliter quoque certum idem est quoad Unctionem. Demum idem saltem probabile est quoad duo cetera sacramenta, cum exceptio hic statuenda non sit, nisi positive probetur: haec autem exceptionis probatio tantum abest, ut potius ex ipsius rei natura appareat in *SS. Eucharistia* „in suscipi" seu in S. Communione eiusmodi ius

quodammodo necessario haberi coniunctum cum Christi in communicante praesentia hospitali; — et in *Paenitentia* eiusmodi ius immediate et necessario fluere ex absolutione, quippe quae tanquam sententia iudicialis vix quidquam aliud primo et immediate producere valeat quam ius ad peccatorum remissionem a Deo per gratiae infusionem impertiendam.[1])

5. 2) Natura posterius ad ius collatum sacramenta hominibus non ponentibus obicem conferunt *ipsam gratiam sanctificantem,* quam significant, semper et omnibus, quantum est ex parte Dei (Dogma ex CTr sess. 7, can. 6—7 [D 849—850]).

3) Simul cum gratia sanctificante sacramenta tribuunt homini *ius ad gratias actuales,* quibus homo indiget ad diversos sacramentorum diversorum fines attingendos: quod ius, tempore opportuno in rem transiens, immediate nexum est cum gratia sanctificante (mediate cum iure ad ipsam) et simul cum gratia sanctificante cessat iterumque cum eadem revertitur.

6. *Finis* omnium sacramentorum *communis* est hominum salus aeterna. Qui finis est finis ultimus, cum finis proximi sint diversi pro diversitate generica et specifica sacramentorum.

7. *Effectus* et *fines* sacramentorum singulorum *proprii* sunt diversi pro sacramentorum diversitate generica et specifica.

Inter effectus cuiuslibet sacramenti proprios distinguendi videntur effectus proprii particulares et effectus proprius generalis: *generalis* est ille alicuius sacramenti effectus proprius, qui ex omnibus effectibus propriis particularibus tanquam unus et integer coalescit et hac ratione unitatem quandem plurium effectuum particularium, utpote ad unum quoddam conspirantium, demonstrat.

---

[1]) Cf. Umberg, De reviviscentia sacramentorum ratione „rei et sacramenti“: Periodica de re morali, canonica, liturgica (Roma) 17 (1928) 17*—34*.

8. *Baptismi* effectus generalis videtur esse hominis addictio Deo Trino per assimilitivam cum Christo unionem facta: ipsa addictio (vel devotio vel consecratio) exhibetur iuxta 1 Cor 1, 12sq. ipsa forma sacramentali Baptismi sequiturque inde, quod Baptismus ad perfectum ducit circumcisionem, quae qua Baptismi typus erat hominis addictio Deo facta. Ipsa porro addictio Deo Trino efficitur per assimilitivam cum Christo unionem, quae coalescit ex Baptismi effectibus particularibus:

Baptismi effectus proprii particulares sunt:

1) Hominis in regnum Christi aggregatio (C 87) seu in corpus Christi mysticum incorporatio (1 Cor 12, 13) quae externe quidem fit per externum actum Baptismi, interne vero per characteris indelebilis impressionem (CTr sess. 7, can. 9 [D 852], coll. c. Innoc. III., Ep. Maiores [D 411]);

2) Hominis ad filiationem divinam regeneratio spiritualis (Jo 3, 5; Tit 3, 5), quae obtinetur per gratiae sanctificantis donorumque infusionem necnon omnis culpae poenaeque remissionem (CTr sess. 6, cap. 7; sess. 5, can. 5 [D 799 sq., 792]);

3) Obligatio ad vitam christianam, i. e. cive regni Christi filioque Dei adoptivo dignam, ducendam (CTr sess. 7, can. 7—8 [D 863 sq.]; sess. 6, cap. 11 et can. 19- 21 [D 804, 829—831] necnon ius ad gratiae auxilia actualia et alia media vitae christiane agendae necessaria (CTr sess. 6. cap. 11 et can. 18; [D 804 et 828; C 87 et 682]).

Finis Baptismi *proximus* in eo positus est, ut baptizatus tanquam in regno Christi civis vitam supernaturalem agat filii Dei adoptivi; finis vero Baptismi *ultimus* salus est baptizati aeterna: qui finis ultimus interdum non obtento fine proximo attingitur, videlicet ab iis, qui post Baptismum aut morte praerepti actus humanos non ponunt (ut infantes baptizati usum rationis nondum assecuti morientes, vel adulti immediate ante mortem baptizati) aut vitam parum christiane degentes ante mortem conversi et hac ratione donum perseverantiae assecuti diem obeunt supremum. Similiter aliorum quoque sacramentorum finis ultimus interdum, non obtento fine proximo, attingitur.

9. *Confirmationis*[1]) effectus generalis consistit in Baptismi „perfectione“[2]); quae perfectio ex hisce coalescit effectibus particularibus:

1) Confirmatio characteris indelebilis impressione (CTr sess. 7, can. 9 [D 852]) perficit baptizati in regnum Christi aggregationem (conc. Laodic. inter a. 343 et 381, can. 48; S. Cyrill. Hieros., Cat. 21, 5);

2) Confirmatio Spiritus Sancti gratiaeque secundae infusione (Eug. IV, Decr. ad Armenos [D 697]) perficit baptizati regenerationem (Ps.-Dionys. Areop., De eccl. hier. 2, 8);

3) Confirmatio donorum Spiritus Sancti (S. Ambrosius, De myst. 7, 42; De sacr. 3, 2, 8) necnon iuris ad gratias actuales (Eug. IV, ib.) collatione perficit fidei in Baptismo receptae profitendae, defendendae, propagandae facultatem et obligationem (cf. Eug. IV, ib.).

Vel *alio modi* dici posse videtur:

Confirmationis effectus generalis est constitutio apostolorum laicorum supernaturaliter idoneorum; qui effectus generalis ex hisce coalescit effectibus particularibus:

1) per characteris impressionem baptizato confertur sacra potestas tanquam militi Christi ex officio fidem catholicam externe profitendi, tuendi, propagandi;

2) per gratiae sanctificantis (secundae) necnon donorum Spiritus Sancti infusionem et per iuris ad gratias actuales collationem supernaturalis datur facultas imponiturque obligatio sacra potestate apostolica sancte fungendi.

Finis Confirmationis proximus in eo est, ut confirmatus tanquam strenuus in regno Christi miles fidei professione, defensione, propagatione apostolatum exerceat laicalem.

10. *SS. Eucharistiae „in fieri“* seu consecrationis eucharisticae effectus est realis Christi praesentia per panis vinique

---

[1]) Cf. Umberg, Die Schriftlehre vom Sakrament der Firmung 1920; Exerzitien und Sakramente 1927; Die Weihe zum Laienapostolat: Stimmen der Zeit 117 (1929) 81—88.

[2]) Cf. Umberg, Confirmatione Baptismus „perficitur“: Ephemerides Theologicae Lovanienses I (1924) 505—517.

transsubstantiationem, concomitans sacrificii oblatio cum sacrificalium fructuum productione et applicatione; Eucharistiae „in fieri" finis est christianorum cum sacrificio crucis unio, praesertim per communionem sacramentalem.

SS. Eucharistiae *„in esse"* effectus est perpetua nobis praesens interpellatio Christi pro nobis eiusque adoratio Patris. SS. Eucharistiae „in esse" finis est solamentum christianorum et exhibitio cultus eucharistici (cf. CTr sess. 13, cap. 5 [D 878]).

SS. Eucharistiae *„in suscipi"* seu Communionis eucharisticae effectus generalis est totius hominis ad totum Christum adunatio (Eugen. IV, Decr. ad Armen. [D 698]), coalescens ex sequentibus effectibus particularibus:

I. Christo physico adunatur Communione christianus:

1) quoad *animam,* nutritione spirituali, quatenus

a) Communione augetur gratia sanctificans (CTr sess. 13, cap. 7 sq.; can. 11 [D 880 sq.; 893]) sub eo imprimis (ut videtur) respectu, quod secum fert augmentum caritatis habitualis;

b) Communione confertur ius ad gratias actuales, quibus homo praesertim ad caritatis actus excitatus et adiutus valeat in prosecutione finium reliquorum sacramentorum perseverare (cf. Eug. IV, ib. CTr sess. 13, cap. 2 [D 875]);

c) Communione remittuntur peccata venialia (CTr. sess. 13, cap. 2 [D 875]) unionem cum Christo retardantia:

2) quoad *corpus*

a) per contactum contiguum cum vero corpore et sanguine Christi, quo unitas quaedam physica, quamvis transiens, inducitur (S. Cyrill. Alex., In Joann. 10, 2 [R 2116]);

b) per assimilationem quandam corporis nostri cum sanctissimo corpore Christi, quatenus Communione integritas corporis nostri saltem interdum instauratur per cupiditatis imminutionem (Leo XIII., Enc. „Mirae caritatis" 28. Maii 1902), et semper per oppignorationem gloriosae resurrectionis (CTr sess. 13, cap. 2 [D 875]).

II. Christo mystico seu societati fidelium homo per Communionem adunatur (1 Cor 10, 17; CTr sess. 13, cap. 2 et 8 [D 875 et 882])

1. mediante unione cum Christo physico, adeo, ut fideles hac mediante unione et quoad sua corpora et quoad suas animas vero et miro modo inter sese vinciantur (S. Joann. Chrysost., In Joann. 46, 2 [R 1166]), idque multo intimius quam per Baptismum et Confirmationem, quippe cum gratia sanctificans et character sacramentalis in singulis fidelibus individualiter inter sese differant, Christus vero in singulis praesens sit individualiter unus et nomine et re.

2. Communione fidelis recipit ius ad gratias actuales, quibus adiutus erga eiusdem fidei socios et eiusdem convivii commensales caritatem exercere atque fovere et possit et debeat (cf. CTr sess. 13, cap. 2 et 8 [D 875, 882]).

Communionis eucharisticae finis proximus in eo ponendus videtur, ut sacramentaliter nutritus in reliquorum sacramentorum finibus prosequendis diu perseveret adeo, ut Eucharistia fidelibus „sit animae vita et perpetua sanitas mentis, cuius vigore confortati ex huius miserae peregrinationis itinere ad caelestem patriam pervenire valeant" (CTr sess. 13, cap. 8 [D 882]).

11. *Paenitentiae* effectus generalis videtur esse restitutio status animae per peccatum (grave) amissi (CTr sess. 14 [D 894 sqq.]), saltem quoad substantiam; qui effectus generalis coalescit ex sequentibus effectibus particularibus:

1) per infusionem gratiae sanctificantis irrevocabiliter remittuntur peccata (gravia), totaliter quidem quoad culpam aeternamque poenam, saltem partialiter quoad poenam temporalem (CTr sess. 14, cap. 8 [D 904]);

2) simul cum gratiae infusione merita mortificata ad perfectam reviviscentiam resuscitantur (Pius XI, Bulla „Infinita Dei misericordia", 29. Maii 1924 [D 2193]);

3) cum gratiae infusione confertur ius ad gratias actuales, quibus homo iuvetur ad peccata praeterita etiam quoad restantes poenas temporales delenda atque ad peccata sacramento remissa de cetero vitanda;

4) cum peccatorum remissione interdum conscientiae pax et serenitas praevaricationibus amissa cum vehementi spiritus consolatione coniungitur (CTr sess. 14, cap. 3 [D 896]).

Poenitentiae finis proximus (ab effectibus distinctus) in eo esse videtur, ut absolutus recuperet et conservet statum ab omni gravi culpa huicque debita poena liberum.

12. *Unctionis Extremae* effectus generalis est hominis infirmi sanatio, quae ex sequentibus effectibus particularibus coalescit:

1) Unctione anima graviter aegrotantis (vel senis) simul cum vitae spiritualis (gratiae) sive secundae sive primae infusione recipit ius ad gratias actuales sanantes, quibus adiutus confortetur ad superanda animae pericula e morbo (vel senio) corporis atque ex peccatorum reliquiis oriunda (CTr sess. 14, De Extr. Unct. cap. 2 [D 909]);

2) Unctione corpus sanitatem recipit, quatenus eius infirmitas, ubi saluti animae expedierit, vel minuitur vel etiam plene tollitur (CTr, ib.).

Finis Unctionis proximus in eo reponendus videtur, ut unctus superet oriunda ex morbo (vel senio) et ex peccatorum reliquiis salutis pericula et sese praeparet ad immediatum in gloriam ingressum.

13. *Ordinis* effectus generalis est constitutio idoneorum ministrorum sacrorum; qui effectus generalis ex hisce coalescit effectibus particularibus:

1) Ordine per characteris indelebilis impressionem (CTr sess. 7, can. 9; sess. 23, can. 4 [D 852, 964]) ordinato confertur sacra potestas sanctificandi fideles (CTr sess. 23 [D 957 sqq.]);

2) Ordine per Spiritus Sancti collationem (CTr sess. 23, can. 4 [D 964]) et per gratiae sanctificantis secundae infusionem et per donorum Spiritus Sancti augmentum (Praefatio in Ordinatione Diaconi) et per iuris ad gratias actuales collationem datur facultas et imponitur obligatio munere sacro sancte fungendi.

Finis Ordinis proximus *principalis* est is, ut ordinatus Sancta sancte ministrando homines sanctificet; *secundarius* est propria per Ordinis exercitium sanctificatio.

14. *Matrimonii* effectus generalis est constitutio supernaturaliter idoneorum propagatorum generis humani; qui effectus generalis ex hisce coalescit effectibus particularibus:

1) ratione sacramenti peculiariter firmatur vinculi coniugalis unitas et indissolubilitas (C 1013 § 2);

2) augmento gratiae sanctificantis et habitualis caritatis sponsi mutuo sese sanctificant (CTr sess. 24, cap. 1 [D 969]);

3) sacramento sibi invicem collato coniuges ius sibi invicem creant ad gratias actuales, quibus adiuti cooperari valeant ad obtinendum Matrimonii fines.

Matrimonii finis proximus *principalis* est Deo placita procreatio atque educatio prolis, — *secundarius* mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae (C 1013 § 1) seu mutua coniugum sanctificatio.

15. Assertum III. *Sacramentorum congruentia et ordo elucet ex eorum tum ad vitam hominis supernaturalem tum ad regnum Christi relatione.*

Explicatio. 1. Quoad *vitam hominis supernaturalem:*

Baptismus est sacramentum renascentiae, — ad generandam vitam supernaturalem.

Confirmatio est sacramentum adolescentiae — ad perficiendam vitam supernaturalem.

Eucharistia est sacramentum perseverantiae, — ad sustentandam vitam supernaturalem.

Paenitentia est sacramentum resipiscentiae, — ad recuperandam vitam supernaturalem.

Unctio est sacramentum reconvalescentiae, — ad sanandam vitam supernaturalem.

Ordo est sacramentum paternitatis spiritualis, — ad spiritualiter propagandam vitam supernaturalem.

Matrimonium est sacramentum paternitatis carnalis, — ad carnaliter propagandam vitam naturalem in ordine ad propagandam vitam supernaturalem.

2. Quoad *regnum Christi:*

Baptismus est sacramentum aggregationis in regnum Christi.

Confirmatio est sacramentum aggregationis in militiam Christi laicalem.

Eucharistia est sacramentum sustentationis in militia Christi.

Paenitentia est sacramentum reconciliationis desertoris.

Unctio est sacramentum confortationis in ultimo agone.

Ordo est sacramentum aggregationis in militiam Christi hierarchicam.

Matrimonium est sacramentum procreationis sobolis pro regno Christi.

Articulus III.

De sacramenti definitione.

16. Assertum. *Recte sacramentum quasi-metaphysice definiri videtur „vicaria Christi actio symbolica (in perpetuum instituta), de se apta, quae, rite applicata, vi significationis suae ex opere operato tribuat subiecto capaci ius ad gratiam sanctificantem („rem-sacramentum") et disposito ipsam gratiam sanctificantem cum iure annexo ad gratias actuales („rem")".*

Explicatio. Singula definitionis elementa postea accuratius exponentur. Definitio data est metaphysica seu potius *quasi-metaphysica,* exhibens quasi-genus et quasi-differentiam specificam. *Quasi-genus* exhibetur verbis: „Vicaria Christi actio symbolica (in perpetuum instituta)". In hoc notarum complexu sacramentum convenit cum aliis speciebus actionum Christi vicariarum symbolicarum, uti est dispensatio a votis et iuramentis, quae fit nomine Christi potestate vicarie divina, actione symbolica (plerumque per verba, quae ex natura sua sunt quidem signa arbitraria, vocari vero possunt

entia symbolica); simulque eiusmodi dispensationes sunt in perpetuum institutae (saltem in genere), quamvis non necessario exercendae. Ad idem hoc genus pertinent ut species concessio indulgentiarum et solutio vinculi matrimonialis.

Differentia specifica, qua sacramentum ab aliis speciebus modo enumeratis differt, exhibetur verbis „De se apta . . .“

Ad singula elementa.

„Actio Christi vicaria“: vide n. 19—22. Notandum, *SS. Eucharistiam* solum „in fieri“ esse veram Christi actionem; nam „in esse“ est ipse Christus seu eius actio eminenter; „in suscipi“ est applicatio eiusdem actionis eminenter.

„Actio symbolica“: vide n. 32—30.

„In perpetuum instituta“: actiones semel a Christo positae, ut v. g. insufflatio in apostolos ad dandum eis Spiritum Sanctum, non sunt sacramenta vel ideo, quia non sunt actiones vicariae. Posset proinde nota „in perpetuum instituta“ in definitione omitti, sed ideo additur, ut appareat differentia ab actionibus vicariis symbolicis, quae potuissent in perpetuum institui, sed ita instituta non sunt.

Non dicitur in definitione sacramenta debere esse „a Christo“ instituta. Quod ideo fit, quia impossibile videtur esse actiones ullas Christi vicarias, quae ab ipso Christo non sint institutae: continetur ergo nota institutionis (saltem „in genere“) per Christum in nota „actionis vicariae“, praesertim actionis talis, qualis describitur in differentia specifica.

„(De se) apta“: qua nota exprimitur actualem alicuius effectus productionem non esse de conceptu sacramenti in actu primo: secus enim *SS. Eucharistia* neque „in fieri“ neque „in esse“ esset veri nominis sacramentum; vide n. 49—51 144.

„De se (apta)“: possunt enim accidere circumstantiae, quae impediant productionem alicuius effectus supernaturalis, quin ideo sacramentum essentiam suam amittat: ex parte signi deesse possunt conditiones valoris ab Ecclesia adiectae (n. 48—52), ex parte subiecti deesse potest capacitas (n. 104—105), quin ideo sacramentum in actu primo careat *vi* effectiva.

„Rite applicata“: quae applicatio subiecto facta de se quidem est sola conditio, ut liquet in *SS. Eucharistia,* quae in S. Communione mere applicatur. In ceteris autem sacramentis, quae tantum „in fieri“ exsistunt, applicatio (saltem realiter) coincidit cum ipsa actione Christi vicaria.

„Vi significationis suae“: tota vis sacramentorum effectus producendi supernaturales est eorum significatio, qua videlicet significatur, quid Christus velit hac sua actione vicaria subiecto tribui; vide n. 31—37.

„Ex opere operato“: effectus producendi non debentur alii quam ipsi ritui sacramenti seu actioni Christi symbolicae; actus subiecti et boni motus ministri non sunt id, cui effectus proprie debentur. Ceterum concedi posset hanc notam „ex opere operato“ contineri priore nota „vi significationis suae“ strictissime sumpta: attamen expresse ponitur, ut positive excludatur effectus sacramentales via psychologica produci.

„Subiecto capaci“: vide n. 104—105.

„Ius ad gratiam“: sacramentum plene haberi potest, etsi non ipsam gratiam sanctificantem producit, sed tantum ius ad eam; vide n. 4 108.

„(Subiecto) disposito“: vide n. 98—103.

„Gratiam sanctificantem cum iure annexo ad gratias actuales“: vide n. 5.

17. Nota 1. In brevissimam formam contracta sacramenti definitio quasi-metaphysica est: „signum efficax (= in actu primo efficere valens) gratiae“.

18. Nota 2. Physica seu per partes physicas descriptiva definitio sacramenti „in fieri“ est: „materiae formaeque (cum conditionibus valoris ab Ecclesia adiectis) debitae a ministro competente ex intentione externa (saltem virtuali) et interna (saltem habituali implicita) positio“ (cfr. n. 53).

Articulus IV.

De sacramentorum indole iuridica.

19. Habere sacramenta indolem quandam iuridicam vel inde sequitur, quod conferunt iura (ad gratias etc.), ut supra (n. 4) vidimus. Iam quaeritur, qua ratione sint entia iuridica. Et respondetur Asserto, ut videtur, omnino certo:

Assertum. *Sacramenta sunt Christi qua hominis actiones vicariae, seu sunt iuridice Christi actiones.*

Explicatio. „*Vicarius*“ *generalissime* is dicitur, qui alterius agit vices; et quas ponit actiones vice alterius sunt „actiones vicariae“. Hac ratione in iure canonico ille vocatur vicarius, cui cura alicuius paroeciae loco parochi absentis commissa est; vicarius actiones pastorales ponit loco actionum, quas per se parochus ponere debet; immo easdem actiones etiam de mandato explicito vel implicito eiusdem parochi exercet. *Sensu* autem *stricto* ille vocatur vicarius, qui alterius ita gerit vices, ut actiones non tantum loco, nec etiam tantummodo de mandato alterius, sed etiam in persona et nomine alterius ponat: quo habetur, ut eius actiones vicariae considerentur et aestimentur tanquam actiones alterius: sunt non quidem physice, attamen *iuridice*, nec tantum terminative, sed formaliter seu *principiative* alterius actiones. Et huiusmodi sunt actiones sacramentales, quas ponunt sacramentorum ministri: sunt sensu stricto et formaliter vicariae Christi actiones.

Sunt autem actiones vicariae Christi non qua Dei (saltem immediate), sed *qua hominis,* cum Christus qua homo iura nobis supernaturalia sanguine suo acquisiverit, qua homo dixerit: „Hoc est corpus meum“ (Mt 26, 26), qua „filius hominis“ remiserit peccata paralytico (Mt 9, 6), qua homo affirmaverit: „Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos . . .“ (Mt 28, 18 sq.) etc.: apostoli vero eorumque in sacro munere successores idem facere iubentur, quod Christus qua homo fecit.

20. Probatio. 1) Ex s. Scriptura: De *Baptismo* Christi testatur S. Joannes Baptista sibi revelatum fuisse: „Super quem videris Spiritum descendentem . . ., hic est, qui baptizat in Spiritu“ (Jo 1, 33), „quamvis Jesus non baptizaret, sed discipuli eius“ (Jo 4, 2). Et Eph 5, 25—27 ipse Christus dicitur mundasse Ecclesiam lavacro aquae in verbo vitae, quamvis non ipse, sed alii physice ministrarent Baptismum. — Quoad *Paenitentiam* Christus contulit apostolis eorumque successoribus potestatem absolvendi: „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos“ (Jo 20, 21). Unde et Paulus eandem potestatem exercens „in persona Christi“ (2 Cor 2, 10) egit. — Quoad *SS. Eucharistiam* Dominus iussit (Lc 22, 19) apostolos consecrare verbis: „Hoc est corpus meum“, quae aperte demonstrant in consecratione apostolos agere de mandato et in persona Christi.

2) Ex SS. Patribus cfr. S. Joh. Chrysostomus, In Jo hom. 86, 4 (R 1169). S. Ambrosius, De Spiritu S., Prol. 18 (R 1280); De Paenit. 1, 8, 34—36. S. Augustinus, In Jo tr. 5, 7; 5, 18 (R 1810); 6, 7; 7, 4 (R 1811); C. litt. Petil. 3, 49, 59; 3, 54, 66. S. Leo M., Ep. 108 ad Theod. Foroiul. 2. S. Eligius, Hom. 4.

3) Ex theologis audiatur S. Thomas, C. Gent. 4, 76: „Si quis autem [contra necessitatem primatus Romani Pontificis] dicat, quod unum caput et unus pastor est Christus, qui est unius Ecclesiae sponsus, non sufficienter respondet. Manifestum est enim, quod omnia ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit; ipse enim est, qui baptizat; ipse est, qui peccata remittit; ipse est verus sacerdos, qui se obtulit in ara crucis, et cuius virtute corpus eius in altari quotidie consecratur; et tamen, quia corporaliter non cum omnibus fidelibus praesentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos praedicta fidelibus dispensaret.“

4) Formae ipsae sacramentorum sanum sensum non habent, si nomine ministri, non Christi nomine proferuntur, ut v. g. „Hoc est corpus *meum*“.

„Ego te *baptizo* . . .“ significat: ego te efficaciter devoveo Deo Trino per aggregationem in regnum Christi absolute

monarchicum; at hoc fieri solum potest nomine absoluti monarchae; — praeterea sicut primus Adam sua propria actione prolem generavit ad mortem, ita secundus Adam sua propria actione prolem regenerare debet ad vitam. Item actus iudicialis, qui fit in *Paenitentia* dicendo: „Ego te absolvo a peccatis tuis", nonnisi nomine et in persona monarchae absoluti nostri efficaciter fieri potest.

5) Ipsa demum doctrina de intentione ex parte ministri requisita naturalis est et obvia, si sacramentum actio iuridica Christi est; secus deest *interna* ratio pro intentionis necessitate. Idem quoque valet de bonitate ministri ad validam confectionem non requisita; quam doctrinam ita exponit S. Thomas (3, q. 64, a. 10 ad 3): „Perversa intentio pervertit opus intendentis, non autem opus alterius. Et ideo ex perversa intentione ministri pervertitur id, quod agit in sacramentis, inquantum est opus eius, non inquantum est opus Christi, cuius est minister. Et est simile, si minister alicuius hominis prava intentione deferret pauperibus eleemosynam, quam dominus recta intentione mandaret".

21. Nota 1. Christus in sacramentis diversimode agit iuridice. Generatim ipsa positio materiae et formae ab ipso institutarum est iuridice Christo adscribenda, ut in *Baptismo,* in *Confirmatione,* in *Unctione* et *Ordine. Eucharistia* „in fieri" eatenus est actio Christi vicaria, quatenus proferuntur in eius persona verba consecratoria et eo ipso materia consecranda verbis subiecta assumitur et vestitur vi symbolica (de qua postea); Eucharistia vero „in esse" est actio Christi eminenter, cum sit ipse Christus sub speciebus sacramentalibus praesens, qui „in suscipi" qua hospes ingreditur in fidelem eique hac ratione confert ius ad gratiam. *Paenitentiae* sacramentum (similiter ut Eucharistia „in fieri") eatenus est actio Christi vicaria, quatenus in eius persona proferunter verba absolutoria et eo ipso actus confessionis dolorosae a paenitente positus elevatur et vestitur vi symbolica. Et sicut Christus in consecratione eucharistica panem vinumque non apponit, sed solummodo verba profert,

ita etiam in Paenitentia non ipse confitetur et dolet, sed solummodo verba profert.

In *Matrimonio* demum hoc speciale habetur, quod expressio consensus matrimonialis praeter suum quasi-naturalem sensum alios habet ex institutione divina sensus: eadem enim verba (vel signa) repraesentant conubium inter Christum sponsum et sponsam suam Ecclesiam et praeterea significant gratiam sponsis conferendam. At sub respectu consensus coniugalis non proferuntur in persona Christi, nec sub respectu conubii Christi cum Ecclesia, sed solummodo sub respectu (inseparabiliter cum priore sensu coniuncto) gratiae sanctificantis tribuendae sponsis: ergo Christus non init Matrimonium, sed ineuntibus Matrimonium ius tribuit ad gratiam.

22. Nota 2. Quoniam sacramenta sunt iuridice actiones Christi qua hominis, proprie et immediate sunt (iuridice) instrumenta in manu Christi qua hominis. In *manu* autem *Dei Trini* sunt instrumenta *remota*, eo scilicet sensu, quo omnes actiones a Christi humanitate (tanquam a principio a quo) positae a Deo Trino ut instrumenta adhibentur, et ita intellegi potest quod habet CTr sess. 6, cap. 7 [D 799] de Baptismo ut instrumentali iustificationis causa. — De cetero videtur res esse explorata huic loco citato (iuxta ipsius Concilii mentem) plane satisfieri a Scotistis docentibus Baptismum esse *meram conditionem,* qua posita Deus hominem sanctificet.

Articulus V.

De sacramentorum indole symbolica.

23. Ponitur primo factum, quod sacramenta sint symbola; ostenditur deinde, quid symbolizent; explicatur demum, unde cognoscatur res sacramento symbolizata.

24. Assertum I. *Omnia sacramenta sunt symbola seu signa.* (CTr sess. 13, cap. 3 [D 876]).

Explicatio. Omnia sacramenta de facto esse symbola, seu signa, seu figuras, seu repraesentationes (quae vocabula sunt hic synonyma) vel a priori sequitur inde, quod sacramenta sunt entia iuridica, quibus hominibus actu positivo conferuntur res invisibiles, quas ipsi se recepisse necessario scire debent, id est aut ius ad effectus internos invisibiles aut ipsas res invisibiles, ut sunt characteres indelebiles, gratia sanctificans. Atqui eiusmodi res ex communi omnium gentium praxi, postulante id ipsa rerum et hominum natura, aliter conferri nequeunt nisi actu aliquo symbolico, unde rei collatio facta homini innotescat. Sane quidem iura atque res cum hominis natura individuali et sociali necessario coniuncta, absque actu positivo, cum ipsa natura homini conferuntur. Hic vero agitur de bonis ordinis supernaturalis, quae nec constitutive nec exigitive nec consecutive hominis naturae debentur. Proinde actu aliquo positivo ei sunt conferenda eoque symbolico (significativo, figurativo, repraesentativo). Spectata sola natura humana ad hoc sufficeret aliquod dictum, quo res invisibilis hic et nunc conferenda significetur, ut etiam in ordine naturali sufficit, si monarcha aliquem constituendo belli ducem dicat: „Tu es belli dux". Similiter sufficeret aliqua actio significativa, ut si iudex reum mortis condemnando sine verborum prolatione coram reo frangat virgulam, hac ratione symbolice exprimendo, de rei vita esse actum; quo in casu *ipsa actio* est *essentialiter „signum"*, id est aliquod substratum physicum (fractio), cui tanquam forma competit significatio (condemnationis). Et eadem hac ratione sacramenta *qua* actiones Christi videntur etiam esse signa seu symbola, non tamen mortem, sed vitam significantia supernaturalem.

25. Assertum II. *Primario sacramenta symbolizant gratiam sanctificantem (et reliqua cum ipsa coniuncta, diversa in singulis sacramentis, dona) tanquam „rem contentam" et consequenter efficiendam.*

Explicatio. Doctrina catholica traditur a CTr sess. 7, can. 6 [D 849]: „Si quis dixerit, sacramenta novae legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre . . . A. S.". Leo XIII, Ep. „Apostolicae curae", 13. Sept. 1896 (D 1963): „Omnesque norunt, sacramenta novae legis utpote signa sensibilia atque gratiae invisibilis efficientia, debere gratiam et significare quam efficiunt et efficere quam significant". De hac „re significata et contenta" eaque sola, minime vero de „re significata et non contenta", valet axioma „Sacramenta efficiunt quod significant".[1]) Et viceversa dici potest: „Sacramenta significant quod efficiunt".

26. Assertum III. *Secundario sacramenta symbolizant tum passionem Christi praeteritam (tanquam causam nostrae sanctificationis), tum futuram nostram gloriam (tanquam fructum nostrae sanctificationis) ut „res non contentas" et consequenter non efficiendas.* (Communis theologorum: S. Thomas 3, q. 60, a. 3; Cat. Rom. P. 2, c. 1, q. 8).

Explicatio. Repraesentatio passionis Christi seu sacrificii in cruce peracti *SS. Eucharistiae* „in fieri", quatenus (duplex) consecratio non est praecise sacramentum, sed actio sacrificalis, non secundario, sed primario competere dicenda est, quoniam ex doctrina S. Thomae 3, q. 83, a. 1

[1]) Cfr. Umberg, „Sacramenta efficiunt quod significant": ZkTh 54 (1930) 92—105.

Christus in hoc sacramento „immolatur“ eo, quod celebratio huius sacramenti sit „imago quaedam repraesentiva passionis Christi, quae est vera eius immolatio“.[1])

27. Assertum IV. *Peculiari quodam, quamvis secundario, modo omnia sacramenta, praecipue vero SS. Eucharistia, symbolizant eorum, qui sacramenta suscipiunt, in fide unionem.*

Explicatio. Ecclesiae doctor S. Petrus Canisius (Summa doctrinae christianae. De sacram., c. VI) docet, sacramenta ideo a Christo esse instituta „tertio, ut exstent velut symbola et externae notae christianae professionis, quibus Dei et Ecclesiae filii se mutuo agnoscant“. Catechismus Romanus (P. 2, c. 1, q. 9): „Quarta etiam causa accedit, cur sacramentorum institutio necessaria videri possit, ut scilicet notae quaedam et symbola essent, quibus fideles internoscerentur; quum praesertim nullus hominum coetus queat, ut etiam a D. Augustino (C. Faust. XIX, 11 [R 1601]) traditum est, sive verae sive falsae religionis nomine, quasi in unum corpus coagmentari, nisi aliquo visibilium signorum foedere coniungantur. Utrumque igitur praestant novae legis sacramenta, quae et christianae fidei cultores ab infidelibus distinguunt, et ipsos fideles sancto quodam vinculo inter se conectunt“.

Maxime vere iste divinitus statutus symbolismus elucet ex *SS. Eucharistia,* quae a CTr sess. 13, cap. 8 (D 882) vocatur unitatis signum, vinculum caritatis, concordiae symbolum. In eundem sensum de SS. Eucharistia loquuntur S. Ignatius M., Ep. ad Philad. 4 (R 56); S. Joannes Chrysostomus, In Joann. hom. 46, 2 (R 1166), In ep. I. Cor.

[1]) In deposito fidei non haberi doctrinam, in Eucharistia eadem vera et reali ratione praesentem esse passionem Christi atque ipsius corpus et sanguinem, vide ap. Umberg, Die These von der Mysteriengegenwart: ZkTh 52 (1928) 357—400.

hom. 24, 2 (R 1194); S. Augustinus, Serm. 227 (R 1519), Serm. 272 (R 1524), In Joann. tr. 26, 13 (R 1824). Et Liturgiae passim.

S. Thomas (3, q. 80, a. 4) ex SS. Eucharistiae symbolismo responsum haurit ad quaestionem, utrum catholicus peccator communicans peccet: „Duplex autem est res huius sacramenti . . .: una quidem, quae est significata et contenta, scilicet ipse Christus; alia autem est significata et non contenta, scl. corpus Christi mysticum, quod est societas sanctorum. Quicunque ergo hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat, se esse Christo unitum et membris eius incorporatum". Et similiter de infideli communicante (3, q. 80, a. 5 ad 2): „Peccatum infidelitatis, quod funditus separat ab Ecclesiae unitate, simpliciter loquendo maxime hominem ineptum reddit ad susceptionem huius sacramenti [scl. Eucharistiae], quod est sacramentum [= signum] ecclesiasticae unitatis . . .: unde et gravius peccat infidelis accipiens hoc sacramentum quam fidelis peccator".

28. Assertum V. *Quaenam res sacramentis symbolizentur, non tam ex ipsis sacramentis quam aliunde discendum videtur.*

Explicatio. Sacramenta debent esse signa ad placitum, cum entia naturalia, quae adhibenda sunt in sacramentis, ad res supernaturales, quas significare debent, per se nullam habeant relationem similitudinis; quare haec entia naturalia, praesertim materialia, res supernaturales significare non possunt, nisi vis significandi iis actu positivo impraegnetur. Praeterea res uno eodemque sacramento significatae sunt tam variae, ut, supposita etiam quadam similitudine radicali seu aptitudinali, paucissimis illis ritibus et verbis, quibus singula sacramenta constant, vere sensibiliter exprimi prorsus nequeant. Exemplo sit sacramentum primum: *Baptismo* homo regeneratur spiritualiter, id quod tamen nemo ex sola sacramenti visibili aspectu colligere valet, sed hoc

aliunde cognoscere debet. Nihilominus certum est, regenerationem hanc spiritualem ipso ritu baptismali etiam symbolizari, idque aut sola ablutione aut sola formula aut toto ritu ex ablutione et formula composito. Etenim verum est axioma (supra n. 25): „Sacramenta significant quod efficiunt", quamvis omnis haec significatio ex ipsius sacramenti consideratione colligi nequeat.

Quare cautissime procedendum est in explicando et interpretando symbolismo sacramentorum, et potius interrogandi sunt alii loci theologici quam ea, quae in sacramentis sunt sensibilia.

29. Assertum VI. *Recte quoad omnia et singula sacramenta distinguitur inter „sacramentum tantum", inter „rem tantum" et inter „rem et sacramentum" („rem-sacramentum").*

Explicatio. *„Sacramentum tantum"* est id, quod audit sacramentum sine addito, estque ipsum sacramentum externum seu signum sensibile (homini applicandum) ex materia constans et forma; et vox *„sacramentum"* ideo adhibetur, quia denotat 1. signum alicuius rei idque 2. eo sensu, quod illa res symbolizata ab ipso hoc signo dependeat; quod utrumque verificatur in septem nostris sacramentis, quippe quae sunt signa seu symbola omnium a se dependentium effectuum. Vocatur autem sacramentum externum „sacramentum *tantum*", quia ipsum non significatur ab aliquo signo seu symbolo praecedenti, seu aliis verbis, quia ipsum non est res a signo seu symbolo seu sacramento praecedenti significata, sed est simpliciter „signum rei sacrae".

Ex hoc termino „signum rei sacrae" desumitur vox *„res"* ad significandum omne id, quod 1. a signo (symbolo, sacramento) est significatum (symbolizatum) et 2. ab hoc signo dependet. Quare omnes sacramentorum effectus (supra recensiti) vocantur „res" sacramentorum, quia illi effectus a signis seu symbolis praecedentibus sunt 1. significati et

2. producti. Illi porro effectus sacramentorum, qui ipsi alios effectus a se dependentes nec habent nec significant, vocantur „res tantum“, id est sunt solummodo res, non autem signa ulterioris effectus. Ideoque gratia sanctificans sacramentis producta vocatur „res“, utpote sacramento externo significata et producta, et vocatur „res *tantum*“, quia non habet ullos effectus ulteriores (in linea sacramentali), quos significet seu symbolizet. (Quamvis enim ius ad gratias actuales immediate nexum sit cum gratia habituali, haec relatio in ista terminologia neglegitur.)

Si vocem „sacramentum“ *extendimus* a signo sensibili ad signum insensibile, quod qua tale nonnisi a spiritibus videri possit, etiam ille sacramentalis effectus praevius, de quo n. 4, seu sacramento externo collatum ius ad gratiam habitualem, investitum characteribus *Baptismi, Confirmationis, Ordinis,* hospitali Christi in communicante praesentia, vinculo coniugali, appellari potest „sacramentum“; nam 1. significat et 2. post se trahit gratiam sanctificantem (ut fere sacramentum externum seu „sacramentum tantum“ significat et post se trahit omnes sacramentales effectus, natura prius illud ius ad gratiam sanctificantem cum characteribus etc., natura posterius ipsam gratiam sanctificantem etc.). At praeterea ille effectus praevius recte etiam „res“ vocatur, cum revera sit res sacramento externo significata et producta. Ergo relate ad sacramentum externum illud ius cum charactere etc. vocatur „res“, relate ad gratiam sanctificantem etc. simul etiam „sacramentum“ (extenso nomine), seu coniunctim *„res et sacramentum“* vel concinnius *„res-sacramentum“* in oppositione ad sacramentum externum, quod appellatur „sacramentum tantum“, et ad gratiam sanctificantem, quae nominatur „res tantum“.

30. Nota. Tam „res-sacramentum“ quam „res tantum“ sunt res „sacramento tantum“ significatae et contentae; sed passio Christi et futura gloria sunt res significatae, non autem contentae: quare non solent vocari „res“ sacramenti. Porro *fines sacramentorum*, qui obtinendi sunt per cooperationem hominum cum gratiis actualibus ad „res“ perti-

nentibus, vocari possunt *„res partim significatae et contentae, partim significatae et non contentae“*: etenim quatenus fines obtinentur gratiis sacramentalibus, apte vocantur „res contentae“, quatenus autem sunt actiones humanae, non continentur sacramentis.

Articulus VI.

De sacramentorum indole practica.

31. Assertum I. *Sacramenta gratiam conferunt ex opere operato* (Dogma ex CTr sess. 7, de sacr. in gen. can. 8 [D 851]).

Explicatio. „Opus operatum“ idem est atque opus positum, et opponitur operi operantis (hominis). Ex opere operato gratiam conferri significat gratiam deberi ipsi operi, quod dicitur sacramentum, seu signo externo. Ex opere operantis gratiam conferri significat gratiam deberi non alicui operi externo, ut est sacramentum, sed bonis hominis actibus, quatenus isti sint meritorii gratiae. Quare terminus „gratiam conferri ex opere operato“ *positive* indicat gratiam in sacramentorum susceptione recipiendam deberi sacramento, ut est opus externum, et simul *negative* indicat eam non deberi merito sive ministri sive subiecti. Sane quidem in subiecto adulto bonus aliquis motus (puta fides, spes, personalium peccatorum gravium retractatio per contritionem vel saltem attritionem) ad gratiam per sacramenta recipiendam omnino requiritur: attamen hi actus, licet, si sint a iusto positi, mereantur gratiam, nihilominus non sunt id, ob quod datur sacramenti gratia.

32. Nota 1. Tenor Asserti est quidem definitus a CTr l. c.; at ipsa hac definitione solummodo *meritum subiecti* excludi videtur, cum protestantes, contra quos canon latus est, gratiam attribuerint bono motui (fidei fiduciali) subiecti, non autem ministri. Attamen gratiam non deberi fidei ministri quoad *Baptismum* etiam a CTr definitum est sess. 7,

de Bapt. can. 4 [D 860], quoad cetera sacramenta res est theologice certa; gratiam non deberi probitati ministri definitum est quoad omnia sacramenta item a CTr sess. 7, de sacr. in gen. can. 12 [D 855]).

33. Nota 2. Sacramenta, cum sint opus Christi, dici possunt gratiam conferre ex opere operantis Christi (ut sacramentalia suos producunt effectus ex opere operantis Ecclesiae) in oppositione ad opus operantis sive subiecti sive ministri sive etiam Ecclesiae. Possent sacramenta dici *opus operantis Ecclesiae* nonnisi *per denominationem extrinsecam,* quatenus nempe Ecclesia opus Christi in se perfectum et absolutum extrinsecus administrat.

34. Assertum II. *Sacramenta sunt rerum, quas conferunt, verae causae instrumentales.* (Est sententia post CTr communis.)

Explicatio. Veram sacramentorum causalitatem a CTr non esse definitam inde certum est, quod synodus noluit definire, quod a theologis tunc temporis non admittebatur. Atqui tunc plurimi theologi secuti sunt doctrinam Scoti, iuxta quam sacramenta sint merae conditiones, quibus positis Deus quasi ex pacto gratiam conferat (qua de re Ecclesiam certam fecerit). Testatur enim impugnator sententiae Scoti, Dominicus Soto O. P., de eiusdem doctrina in suo Comm. in 4. l. Sent., dist. 1, q. 3, a. 1 (ed. Venet. I, 570), quem composuit inter ann. 1557—1560: „Quae quidem opinio est fere omnium doctorum", et in epilogo ad hanc editionem (II, p. 770) dicit: „Ut q. 3, a. 1 retulimus, omnes fere theologi praeter sanctum Thomam opinati sunt [sacramenta] non esse causam, sed solum certa signa".[1])

[1]) Cfr. Lennerz, Das Konzil von Trient und theologische Lehrmeinungen: Scholastik 4 (1929) 38—53.

35. Assertum III. *Sacramenta probabilius effectuum suorum sunt causae morales, quatenus ut petitiones Christi qua hominis movent Deum, ut efficiat petita* (ad mentem Cardinalis de Lugo, De sacr. in gen., disp. 4, sect. 4).

Explicatio. Indubium est, quin oratio hominis iusti pro alio fusa rationem habeat verae causae quoad effectus petitos et a Deo productos, quamvis Deus proprie „moveri" nequeat. Pariter Christi petitio, suis nixa meritis, sive directa sive per alium eius nomine facta (uti fit in sacramentis), rationem causae habere dicenda est relate ad effectus petitos in favorem sacramenta suscipientium.

36. Assertum IV. *Sacramenta probabiliter habent etiam causalitatem iuridicam, quatenus subiecto iuris capaci conferunt ius ad effectus a Christo petitos.*

Explicatio. Ius conferri nequit nisi enti rationali, cum entia irrationalia iuris sint incapaces. Unde soli homines possunt sacramentis iure instrui ad sacramentorum effectus. Juris ergo collatio impossibilis esse videtur in confectione Eucharistiae, ubi effectum a Christo petitum non aliquod ens rationale, sed panis et vinum recipiunt, nempe conversionem transsubstantiativam.

Porro ius sacramentis homini impertitum ipsum quoque videtur concipi posse ut effectus petitionis a Christo vi sacramenti factae, et ob hanc petitionem a Divinitate homini collatum.

Ergo dicendum videtur causalitatem illam, quae „intentionalis" vocatur et totam sacramentorum efficaciam in immediata iuris collatione ponit, saltem quoad consecrationem eucharisticam deficere; nam illa „ordinatio ad transsubstantiationem" vel illud „consecratum esse ad conversionem"

potius denominatio quaedam extrinseca quam intrinseca esse videtur. Insuper causalitas intentionalis supponit sacramenta instrumenta esse immediata in manu Dei, quippe qui solus potest immediate ius ad gratiam conferre, cum tamen nulla ratione negari possit, sacramenta esse immediata instrumenta in manu Christi qua hominis, et mediata tantum in manu Divinitatis (v. supra n. 22). Tandem doctrina de causalitate „intentionali" non videtur relinquere locum conditionibus valoris, quae probabiliter ab Ecclesia ad sacramenta addi possunt (v. infra n. 48—52); nam causalitas haec intentionalis id habet cum causalitate physica commune, ut in subiecto *immediate* et efficienter producat effectum idque semper, si sacramentum est validum; effectu non producto sacramentum est et manet invalidum; unde *subsequens* conditionis appositio efficere nequit, ut sacramentum (actu primo) antea invalidum transire possit (actu secundo) in validum; nam conditione postea impleta, sacramentum in actu primo, utpote non amplius exsistens, *immediate* et efficienter in subiecto nihil producere valet.

37. Assertum V. *Sacramenta probabilissime non gaudent causalitate physica.*

Explicatio. Causalitas sacramentorum physica non solum difficillime intellegitur, sed etiam facta explicanda explicare prorsus nequit, videlicet reviviscentiam sacramentorum eorum, quae non imprimunt characterem, id est Unctionis et Matrimonii. Nam explicatio a Marin-Sola excogitata, quod sacramenta reviviscibilia in charactere baptismali producant modificationem aliquam physicam, quae in reviviscentia physice operetur, non explicat, quomodo haec modificatio cesset, si post Unctionem homo sanus factus est vel si Matrimonium (e. g. per dissolutionem vinculi a Summo Pontifice factam) esse desiit, antequam Unctio et Matrimonium infructuose suscepta reviviscentiam obtinuerunt.[1])

[1]) Cf. Umberg, De reviviscentia sacramentorum ratione „rei et sacramenti": Periodica de re morali, canonica, liturgica 17 (1928) 31* sq.

Insuper tantum abest, ut causalitas physica in S. Scriptura et a SS. Patribus doceatur, ut potius difficillimum sit demonstrare, revelatione utcunque ipsis sacramentis, et non tantum Spiritui Sancto in iis praesenti, efficaciam aliquam attribui, quae plus sit quam mera conditionalitas. Itemque CTr tantum abest, ut doceat physicam, ut ne ullam quidem veri nominis proponat sacramentorum causalitatem (v. supra n. 34).

Articulus VII.

De sacramentorum indole physica.

38. Sacramenta qua iuridicae Christi actiones aliquo modo in ordine physico esse debent, cum ex hominum natura exercitium potestatum iuridicarum externe sensibile sit oportet.

Ecclesia varias habet potestates vicarie divinas, ut indulgentias concedendi, a votis dispensandi, vinculum Matrimonii rati non consummati solvendi. Harum facultatum exercitium non est alligatum ad determinatum quendam modum, sed, spectato solo iure divino, fieri potest quocunque modo, quo voluntas applicandi facultatem manifestatur. Aliter res se habet in usu potestatis vicarie divinae, qua homines per immediatam collationem (iuris vel rei) gratiae habitualis sanctificantur, uti fit in sacramentis. Sacramenta qua vicariae Christi actiones sunt iure divino non solum entia sensibilia, sed ipsa quoque indoles eorum physica ab auctore potestatis iuridicae, Christo Domino, est determinata ita, ut non servata hac indole ipse facultatis vicarie divinae usus sit irritus et nullus. Qua de indole haec statuenda sunt Asserta:

39. Assertum I. *Sacramenta fieri seu perfici nequeunt, nisi adhibeantur duo elementa, videlicet „res“ et „verba“* (Doctrina catholica: cf. Eug. IV ad Arm. [D 695 sqq.]; CTr sess. 14 de Paenit. cap. 2 et 3, de Extr. Unct. cap. 1; sess. 23 de Ord. cap. 3 [D 895 sq. 908 959]).

Explicatio. „Res“ intellegitur aliquod elementum substantiale homini applicatum vel aliquod dictum vel factum, quod in ratione signi (de qua re v. supra n. 24 sqq.) est indeterminatum, ut aqua in lotione baptismali, paenitentis actus (collective sumpti) contritionis, confessionis, satisfactionis in Paenitentia, verba (signa) in Matrimonio oblationem exprimentia. „Verba“ intelleguntur elementa quaedam, id est aliqua sive (plerumque) dicta sive (raro) facta in ratione significandi magis determinata et „rem“ determinantia, ut formula baptismalis, in Matrimonio verba (vel factum) acceptationem exprimentia. Sensus ergo Asserti est, e. g. Baptismum fieri vel perfici non posse, si desit aut ablutio cum debita aqua aut pronuntiatio formulae baptismalis; Matrimonium fieri non posse, si omittantur aut verba (vel nutus) oblationem exprimentia aut verba (nutus) acceptationem significantia; in Paenitentia sacramentum non haberi, si omittantur aut verba absolutionis aut actus paenitentis (collective sumpti).

40. Singulorum sacramentorum

„Res“ (materiae)	„Verba“ (formae)
In Baptismo:	
Aqua vera et naturalis (dogma: CTr sess. 7, can. 2 [D 858]), qua homo abluitur (iure divino: Mt 28, 19).	„Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti“: „Baptizo“ saltem iure ecclesiastico, „Patris et Filii et Spiritus Sancti“ iure divino.

In Confirmatione:

Manus impositio (iure divino: Act 8, 17; 19, 6; Hebr. 6, 2) cum unctione chrismatis in fronte (iure saltem ecclesiastico: CJC 780).	„N. Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris . . .", ubi de iure divino videtur esse aliqua (saltem implicita) Spiritus S. invocatio ad effectum aliquem proprium obtinendum.[1])

In SS. Eucharistia „in fieri":

Panis triticeus et vinum de vite (iure divino: Mt 26, 26 sq. coll. c. CJC 814 sq.).	„Hoc est corpus meum" et „Hic est sanguis meus" (iure divino: Mt 26, 26 et 28 coll. c. Eug. IV ad Arm. et Jacobitas [D 698 et 715]).[2])

In Paenitentia:

Actus paenitentis (confessio, contritio, satisfactio) collective sumpti (dogma: CTr sess. 14, can. 4 [D 914]).	„Ego te absolvo a peccatis tuis" (CTr sess. 14, cap. 3 [D 896]), ubi de iure divino est expressio voluntatis auctoritative hic et nunc remittendi peccata.

In Unctione:

Unctio hominis adhibito oleo olivarum (iure divino: CTr sess. 14, de Extr. Unct. cap. 1 [D 908] coll. c. CJC 931) rite benedicto (iure saltem ecclesiastico: CJC 937).	„Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum . . . deliquisti. Amen", ubi de iure divino videtur esse aliqua precatio ad effectum aliquem proprium obtinendum.

[1]) Cf. Umberg, Die Schriftlehre vom Sakrament der Firmung 1920, 158—161.

[2]) Cf. Umberg, Die wesentlichen Meßopferworte: ZkTh 50 (1926) 73—88.

In Ordine:

Manus impositio (iure divino: 2 Tim 1, 6) cum traditione instrumentorum (iure ad summum ecclesiastico: Eug. IV ad Arm. [D 701]).	Iure divino aliqua oratio ad obtinendum effectum proprium; iure ecclesiastico praefatio aut sola aut cum alia oratione in Pontificali coniuncta.

In Matrimonio:

Utriusque contrahentis verba vel signa significantia oblationem alteri factam.	Utriusque contrahentis verba vel signa significantia acceptationem ab altero factae oblationis.

41. Assertum II. *Tam verba quam res sunt de interna sacramentorum essentia: idque certo in Baptismo, Confirmatione, SS. Eucharistia „in fieri", Unctione, Ordine, Matrimonio* (ex communi theologorum sententia), *probabiliter in Paenitentia* (contrarium affirmante Scoto cum suis).

Explicatio. Cum agatur de sacramentis in fieri seu de sacramentorum confectione, Assertum non valet de SS. Eucharistia „in esse" (et multo minus „in suscipi", seu de mera applicatione Eucharistiae „in esse"). De sacramentis autem in fieri communis habet sententia, quod e. gr. Baptismi essentia non in sola ablutione consistat, ad quam accedere debeat formula tanquam valoris conditio, vel viceversa, sed quod ipsa Baptismi essentia ex duplici elemento coalescat, i. e. ex ablutione ut „re" et formula „Ego te baptizo . . ." ut „verbis". Idemque certo valet de ceteris sacramentis, excepto *Paenitentiae* sacramento, quod iuxta Scotistas essentialiter consistat in sola sententia iudiciali absolutionis, ad quam valide ferendam actus paenitentis necessario quidem requirantur, attamen tantummodo tanquam conditiones sine quibus sententia iudicialis non valeat. Quae

Scoti sententia est et manet vere probabilis, neque ulla solida ratione demonstrari potest eam ab Ecclesia esse reprobatam. Iuxta alios theologos sacramentum Paenitentiae consistit non tantummodo in sententia absolutionis, sed in toto processu iudiciali, qui componatur essentialiter ex actibus paenitentis et ex sententia absolutionis.

42. Assertum III. *„Res"* (inde a Stephano Langton, † 1228) *recte vocantur materia, „verba" forma sacramentorum, ut habet usus ab Ecclesia sacratus* (Martinus V, Interrog. Wicleffitis et Hussitis proponendae n. 22 [D 672]; Eug. IV ad Arm. [D 695 sqq.]; CTr sess. 14 de Paenit. cap. 2 et 3, de Extr. Unct. cap. I; sess. 23 de Ord. cap. 3 [D 895 sq. 908 959]).

Explicatio. Ratio huius terminologiae desumitur ex systemate hylemorphismi, in quo corporum naturalium pars indeterminata et determinanda vocatur „materia", pars determinata et determinans appellatur „forma", — non, quod hi termini sacramentorum „rebus" et „verbis" applicari possint sensu univoco — sacramenta namque non sunt entia naturalia — attamen sensu vere analogo (analogia proportionis).

In *Paenitentiae* sacramento iuxta Scotistas actus paenitentis, quamvis sint merae conditiones sine quibus non, nihilominus vocari possunt sacramenti materia sensu quodam lato vel potius „quasi-materia", qua voce iuxta Scotistas utatur Ecclesia (Eug. IV et CTr ib.) ad indicandum, „rem" in hoc sacramento non esse necessario concipiendam ut materiam sensu stricto.

Quoad sacramentum *Matrimonii* ipsa quidem Ecclesia hac terminologia explicite non utitur (Cfr. Eug. IV ad Arm. [D 702]; CTr sess. 24 [D 969—982]). Theologi vero nunc unanimes esse videntur in applicatione terminorum materiae et formae etiam ad Matrimonii sacramentum.

43. Assertum IV. *Apte* (inde a Scoto In 4, dist. 3, q. 3 et S. Thoma 3, q. 84, a. 2) *res sensibilis, quae in sacramentis adhibenda est, ut aqua in Baptismo, oleum in Unctione, vocatur materia remota, ipse vero materiae remotae actualis usus seu applicatio, ut lotio, unctio, audit materia proxima.*

Explicatio. Ut ipsa doctrina de rebus (materia) et verbis (forma), ita etiam hoc Assertum nonnisi sacramentis „in fieri" applicatur iisque solis, quorum materia continet rem substantialem, non meros actus. Ita v. g. *Paenitentia,* cuius materia sunt actus paenitentis, materiam remotam non habet; nam merito a plurimis theologis reprobatur opinio dicentium Paenitentiae materiam remotam esse paenitentis peccata; si haec opinio esset vera, sacramentum constitueretur peccatis essetque ipsum quoque peccaminosum; hinc peccata non sunt nisi materia circa quam, minime vero materia ex qua. Analogice *Matrimonium* non habet materiam remotam, quoniam sponsorum corpora, quae a quibusdam dicuntur materia sacramenti, sunt materia circa quam versatur contractus, non vero pars ipsum sacramentum constituens. Etiam *confirmantis* et *ordinantis* manus sensu minus proprio, quam aqua, vocatur materia remota.

44. Assertum V. *Sacramentorum materiae et formae a S. Scriptura indicatae in Ecclesiae usu semper specifice eaedem permanserunt.* (Historice certum videtur).

Explicatio. *„Eadem"* forma tunc haberi censenda est, si eius *sensus* idem est. Verba enim, secundum quod sunt res physica, id est sonus, necessario semper mutantur versione in aliam linguam. Ita v. g. „Ich taufe" alius est sonus

quam „Baptizo“; nihilominus verba censentur omnino esse eadem. Sensus porro verborum idem esse potest, etsi versio non sit literalis, ut si dicitur: „Ego te baptizo in nomine Patris . . .“ loco verborum: „Βαπτίζω σε εἰς τὸ ὄνομα (in nomen Patris) . . .“, vel etsi aliqua verba sive addantur, sive etiam omittantur, ut si loco verborum: „Hic est sanguis meus“ dicitur: „Hic est calix sanguinis mei“. Item sensus idem est, etsi proferens verba cum iis falsum coniungat sensum, *dummodo 1) verba, ut sonant, recte intellegi possint secundum eum sensum, quem habere debent ex intentione illius, in cuius nomine et persona proferuntur (id est Christi vel Ecclesiae), et dummodo 2) insuper loquens verba velit (intentione saltem praedominante) proferre in nomine et in persona illius alterius.* Immo verba tunc etiam censentur esse eadem, si sensus necessarius non explicite, sed implicite exprimitur, ut si loco explicitae invocationis Spiritus Sancti adhibentur verba „Confirmo te“ vel „Signo te“ (historice sumpta, scl. pro: confero tibi sacramentum invocativum et collativum Spiritus Sancti). Et notandum est generatim, terminos in sacramentorum formis adhibitos sumendos esse sensu historico, id est eo sensu, quem tunc habuere, quando in formis usurpari coepta sunt (quae lex est generalis circa verba sacra).

„Eadem“ materia haberi tunc censetur, si non solum eius sensus symbolicus, sed ipsa quoque res physice spectata ex morali aestimatione eadem est. Ita v. g. aqua eadem est, sive est calida sive frigida, non autem, si est vaporata vel congelata, licet vaporata et congelata chimice non differant a fluida. Item vinum idem est, sive est rubrum sive album; non autem eadem materia esse censeretur, si loco vini adhiberetur mustum ex pomis. Ut verba formarum, sic etiam materia concipi debet historice; nam si materia aliquo tempore usurpari coepta ex mente illius aetatis eadem est atque illa, quae nunc adhibetur, quamvis alio nunc nomine designari soleat, materia vere eadem mansit; ut est in *Confirmatione,* in qua nunc adhiberi solet tactus corporalis manu factus, qui nostris temporibus „manus impo-

sitio" vocari non solet, temporibus autem Christi et Apostolorum appellabatur „manus impositio"[1]).

45. His praemissis Asserti veritas patet singula percurrenti sacramenta:

In Baptismo semper fiebat ablutio adhibita aqua vera et naturali (materia iuxta Jo 3, 5) sub invocatione explicita trium Personarum SS. Trinitatis (forma iuxta Mt 28, 19. — Difficultas inde proveniens, quod in Actibus Apostoli baptizasse videntur in solo Christi nomine, a dogmaticis sufficienter solvitur).

In Confirmatione semper adhibebatur manus impositio Act 8, 17 et 19, 6 et Hebr 6, 2 indicata (sensu sumpta historico, quo tactus manu factus vera est manus impositio), simul nempe exercita cum unctione consignatoria. Spiritus autem Sancti invocatio (Act 8, 15) etiam nunc habetur saltem implicita verbis „Confirmo" itemque „Signo" (hoc historico sensu: sacramentum Consignationis vel Confirmationis tribuo invocativum et collativum Spiritus Sancti).

In Eucharistia semper materia et forma Mt 26, 26 sqq. indicatae adhibebantur, non obstantibus quibusdam variationibus accidentalibus.

In Paenitentia processus iudicialis Jo 20, 21—23 implicite institutus cum peccatoris confessione, contritione, satisfactione (materia) et aliqua absolutionis formula historice intellegenda (forma) in usu erat.

In Unctione nunquam deerat oleum olivarum (Jac 5, 14) tanquam materia et aliqua pro aegroto precatio (Jac 5, 14) — verbis sive indicativis sive deprecativis sive optativis — tanquam forma.

Item in Ordine manus impositio in S. Scriptura 1 Tim 4, 14; 5, 22; 2 Tim 1, 6 nominata semper in usu fuit cum designatione muneris, ad cuius collationem manus imponebatur.

---

[1]) Luculenter hoc demonstravit v. c. I. Behm, Die Handauflegung im Urchristentum nach Verwendung und Bedeutung in religionsgeschichtl. Zusammenhang untersucht 1911. Cfr. Umberg, Die Schriftlehre vom Sakrament der Firmung 145—150; Mc 7, 32 coll. cum Mc 8, 22—25).

Tandem in Matrimonio expressio consensus matrimonialis (Eph 5, 32) sive per verba sive per alia signa conventionalia nunquam deerat.

46. Assertum VI. *Materiae et formae in S. Scriptura indicatae ab ipso Christo Domino in sua specie determinatae sunt.* (Videtur esse scientifice certum.)

Explicatio. „*In sua specie*" dicuntur materiae et formae determinatae, ut significetur 1) eas non „in individuo" esse determinatas, videlicet ita, ut ne accidentalis quidem mutatio, seu talis, quae ex prudenti aestimatione humana speciem non alteret, salvo sacramenti valore fieri possit; ut significetur 2) materias et formas in S. Scriptura indicatas ita esse immutabiles, ut, salvo sacramentorum valore, aliis materiis et formis, quae ex humana aestimatione in suo esse (physico quoad materias) non iam eaedem sint, suppleri nequeant, seu aliis verbis, ut significetur easdem non solum „in genere" (ut aiunt) esse institutas.

„*Ab ipso Christo*" facta determinatio asseritur non eo sensu, quod determinationem fecerit, cum adhuc in terris degeret, sed sufficit, si id fecerit in caelis degens per Spiritus Sancti inspirationem factam Apostolis. Quod non sufficeret inspiratio posteriori Ecclesiae facta, inde sequitur, quod istae materiae et formae iam in S. Scriptura indicantur, et quod cum morte ultimi Apostoli (S. Ioannis) revelatio publica (ad quam divina sacramentorum determinatio pertinet) est finita: et contraria opinio Alexandri Halensis et S. Bonaventurae, iuxta quos Confirmationis „institutio" (= materiae et formae determinatio) facta sit in concilio aliquo aevi medii (Alexander) sive iam pridem, postquam „bases Ecclesiae" e vivis cessissent (Bonaventura), ex utroque capite sustineri nequit.

47. Ratio Asserti in eo nititur, quod opinio contraria positive esset probanda, cum a priori sustinendum sit has materias et formas ab illo esse in sua specie determinatas,

qui sacramenta instituit tanquam actiones vicarias suo nomine et sua in persona ponendas ad significandos et producendos effectus a se intentos. Accedit autem ratio ex doctrina Ecclesiae, iuxta quam ipsi non est facultas „substantiam sacramentorum" specifice mutandi. Hunc enim sensum habet expressio concilii Tridentini „salva illorum substantia" (sess. 21, cap. 2 [D 931]). Hoc demonstrasse mihi videor commentario „Die Bedeutung des tridentinischen ‚salva illorum substantia'" (ZkTh 48 [1924] 161 ad 195). Idemque docent Clemens VI ad Cath. Armen. (D 3019) et Pius X ad Apost. Deleg. in Oriente (D 3035). — Eug. IV autem in Decr. ad Armen. (D 697) dicit „loco autem illius manus impositionis (Act 8, 17) datur in Ecclesia Confirmatio", quia cum S. Thoma et S. Bonaventura illam collationem Spiritus Sancti Act 8, 17 narratam putat non fuisse vi sacramenti, sed ex privilegio extrasacramentaliter factam.

48. Assertum VII. *Ad aliquorum sacramentorum materias formasque a Christo determinatas Ecclesia quaedam elementa ad valorem necessaria addidisse videtur.*[1])

Explicatio. Eiusmodi additamenta videntur esse sequentia:

Quoad *Baptismum* plures iique gravissimi Patres „adeo benedicendi fontis necessitatem urgent, ut ea re praetermissa nullam in baptismalibus aquis sanctificandi vim agnoscere videantur" (Touttaeus in S. Cyrilli Hieros. Catech. 3, n. 3), saltem si agitur de Baptismo sollemni.

Ad validam *Confirmationem* praeter manus impositionem nunc certo requiritur in S. Scriptura nunquam (cfr. Act 8, 17; 19, 6; Hebr 6, 2) commemorata 1) unctio,

[1]) Cfr. Umberg, Zur Gewalt der Kirche über die Sakramente: Der Katholik 1915 II 25—45.

2) facta oleo olivarum, probabiliter cum balsamo, 3) praevie benedicto 4) ab episcopo, 5) in fronte, 6) probabiliter in modum crucis: quae omnia teste historia (ut evictum est in controversia de Puniet—Galtier: Revue d'hist. eccl. 12 [1911] 351 sqq., 13 [1912] 257 sqq., 450 sqq., 467 sqq.) primitus in valida Confirmatione non fuerunt ubique usurpata.

Quoad *Unctionem* nunc item ad valorem requiritur olei praevia benedictio Jac 5, 14 non indicata eaque per episcopum facta, nisi S. Sedes benedicendi facultatem tribuerit sacerdoti. Christus non videtur ulla instituisse sacramentalia eaque talia, a quibus valor pendeat sacramentorum et quorum confectio modo ab episcopo, modo a presbytero fieri possit.[1])

Quoad *Ordinem* ab initio non fuit in usu traditio instrumentorum, quae nunc probabiliter ad valorem requiritur. (Cfr. Eug. IV ad Arm. [D 701]; Pontif. Rom., De ordinibus conferendis.)

Quoad *Matrimonium* necessitas formae ecclesiasticae (assistentia parochi et testium) etiam hac ratione explicari *potest.*

49. Assertum VIII. *Cum fundata esse videatur opinio, sacramentorum „substantiam" et „valorem" non esse conceptu et re idem, additamenta ecclesiastica melius dicuntur esse „conditiones valoris", quam „de substantia" sacramentorum.*[2])

Explicatio. 1. Sacramentorum *„substantiam" et „valorem" conceptu et re non esse idem,* inde sequi videtur, quod Ecclesia altera ex parte docet sibi potestatem mutandi sa-

[1]) Cfr. Umberg. Liturgischer Stil und Dogmatik: Scholastik 1 [1926] 481—503.

[2]) Cfr. Umberg, Zur Gewalt der Kirche über die Sakramente: Der Katholik 1915 II 25—45.

crementorum „substantiam“ non competere, et ex altera parte ad materias formasque a Christo determinatas additamenta quaedam adiecit, quae sunt de sacramentorum „valore“. Praeterea opinio illa, quam de *Paenitentia* Scotus tenuit, actus videlicet paenitentis esse tantummodo conditiones requisitas ad validam Absolutionem, in qua sola sacramentum seu sacramenti substantia consistat, externe non est reprobata, et interne non repugnat.

Item „approbatio“, quae ex dispositione concilii Tridentini ante Codicem Iuris praeter potestatem iurisdictionis ad validam Paenitentiam requirebatur, non erat nisi mera conditio valoris ab Ecclesia ad validum usum iurisdictionis addita. Iamvero, cum sacramenta sint ipsa quoque entia iuridica, non apparet, quomodo adiectio eiusmodi conditionum valoris repugnet. Similiter nunc Sponsalia invalida sunt non servatis quibusdam conditionibus, scilicet, „nisi facta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci ordinario, vel a duobus saltem testibus“ (C 1017 § 1): substantia autem Sponsalium proprie est ipsa promissio quacunque ratione manifestata, in eaque sola est propria et vera vis obligandi; quae tamen vis per adiectionem conditionum valoris a transitu in actum impeditur. Demum cautum est in multis civilibus legislationibus, ut testamentum, id est „ultimae voluntatis dispositio de eo, quod quis post mortem fieri velit“ (Lehmkuhl, Theol. mor. I, n. 1376), vim non habeat in actu secundo, nisi adimpletis quibusdam conditionibus a lege determinatis, ut est adiectio loci et diei: at neque haec loci et diei scripta adiectio neque respublica huiusmodi conditionem statuens habet proprie vim transferendi dominium, sed sola voluntas testatoris; et huius voluntatis manifestatio est testamenti „substantia“, dum adiectio diei et loci est mera conditio valoris, quae nec re nec conceptu idem est ac testamenti substantia. Sic etiam sacramenta sunt quasi quaedam Christi Domini testamenta, quibus suscipientibus ius confertur ad gratias et dona tanquam ad Christi hereditatem; neque a priori repugnat huiusmodi Christi testamenta in actu secundo vim non habere,

nisi impletis quibusdam conditionibus, dummodo istae conditiones legitime sint adiectae.

Sunt autem sacramentis conditiones valoris *legitime adiectae,* si Ecclesia ad hoc recepit a Christo facultatem; atqui recepisse Ecclesiam hanc facultatem inde videtur elucere, quod eam iuxta superius dicta exercuit; non enim eam exercuisset, nisi eandem habuisset; quam cum ipsa sibi dare nequeat, a Christo recepisse dicenda est.

50. 2. Rationes vero, cur *additamenta ecclesiastica merae videantur esse conditiones,* non vero partes ad „substantiam" pertinentes sacramentorum, afferri possunt hae: a) Si additamenta illa essent de substantia, Ecclesia sacramentorum substantiam mutasse dicenda esset, cum tamen neget, se hanc posse substantiam mutare (D 931 3035). — b) Qui plus asserit, illud plus debet probare; atqui nulla invenitur ratio evincens elementa illa ecclesiastica vim habere causandi gratiam; ad hunc enim finem plenissime sufficiunt elementa divina, id est materia et forma a Christo determinatae. Ergo quidquid accedit, sub ratione causandi abundat, et consequenter elementa ecclesiastica sunt merae conditiones valoris. — c) Demum positive non decet elementa ecclesiastica variabilia eandem habere excellentiam et efficaciam ad producendos sacramenti effectus atque elementa divina in specie sua invariabilia. Quapropter elementa divina non solum ideo vocantur „substantia", quia in oppositione ad elementa ecclesiastica sunt a Christo determinata et invariabilia, sed etiam quia ipsa sola efficacia sunt ad producendum causaliter sacramentales effectus.

51. Nota 1. De sacramenti actu primo et secundo. Si modo exposita vera sunt, confectio sacramenti secundum „substantiam" in subiecto nullum veri nominis producit effectum, nisi etiam conditio valoris forte ab Ecclesia adiecta sit impleta; ne ius quidem ad sacramenti effectus gignit; nam si hoc ius produceret, sacramentum iam esset validum in actu secundo. Ideo dicendum dari subiecto meram aliquam spem fore, ut conditione ecclesiastica va-

loris impleta, recipiat vi substantiae sacramenti susceptae ius ad effectus sacramentales etc.

Exinde illud quoque habetur, sacramentum ex notione sua esse actionem Christi iuridicam et symbolicam, quae in actu primo hoc valet, ut, *si transeat in actum secundum*, effectus gignat supernaturales. In sacramento ergo, dum conficitur, duo signa sunt distinguenda — semper enim prius est esse quam agere —: actus primus, quo fit valens ad causandum, et actus secundus, quo revera causat. Qui duo actus tempore non sunt simul, si conditio valoris substantiae positionem subsequitur, uti (probabiliter) fit in *Ordine*. Sane quidem, si sacramentum de conceptu suo esset supernaturalis effectus *productio* actualis et non tantum signum efficax (= producere valens) effectus producendi, conditio valoris ei repugnaret. Attamen omnes theologi et ipsa Ecclesia sacramentum non definiunt tanquam actualem gratiae productionem. Econtra sacramentum similiter se habet, ut e. c. lignum urens (vel verbum ore prolatum), quod quidem valet comburere materiam combustibilem (respective in audiente excitare phantasma verbi prolati etc.), at non necessario de facto comburit (resp. phantasma excitat): si enim applicatur lignum urens materiae incombustibili, e. g. lapidi (resp. verbum ore prolatum homini surdo), lignum urens est et manet lignum urens comburere valens (resp. verbum est et manet excitare phantasma valens), at ipsam combustionem non efficit (resp. phantasma non excitat): lignum urens non est combustio (resp. verbum non est excitatio phantasmatis), sed res comburere (resp. excitare) valens. Ita etiam sacramentum de se seu in actu primo est signum efficere valens (= validum), non autem necessario effectum sanctificationis in actu secundo producens.

„*Sacramentum validum*“ sine addito comprehendit actum primum *et* secundum, ideoque sacramentum in actu secundo (ob conditionem ecclesiasticam omissam) non producens effectum est „invalidum“, quamquam validum est in actu primo.

52. Nota 2. De cetero notatu dignum est *complures theologos iampridem docuisse conditiones valoris ab Ecclesia sacramentis sive horum ministros sive ritus afficientes esse adiectas.* Ex pluribus theologis, qui adduci possent, nominari merentur Innocentius IV (In quinque libros Decretalium apparatus, l. 1, c. „Quanto". De consuet.), Abbas Panormitanus Nicolaus Tudeschi (Comment. I, P. II), Iohannes Morinus (De sacris Ecclesiae Ordinationibus P. 3, exerc. 5, cap. 9, n. 1), Ioh. Hyac. Sbaraglia (De sacris pravorum Ordinationibus), Petrus de Palude (In 4, dist. 7. q. 4 ad 1), Ioh. Capreolus (In 4 divi Thomae, dist. 7, q. 2, a. 3), Ios. Schwane (Dogmengeschichte der mittleren Zeit 1882, p. 626 sq.), Fr. Ios. Dölger (Das Sakrament der Firmung 1906, p. 221), Ambrosius Catharinus (Quibus verbis Christus Eucharistiae sacramentum confecerit 1552), Christoph. de Cheffontaines (Varii tractatus 1585) etc. Suam doctrinam etiam *Baptismo* applicandam putavere Innocentius IV, Capreolus, *Confirmationi* et *Unctioni* de Palude, Capreolus, *Eucharistiae* Catharinus, de Cheffontaines, alii.

53. Nota 3. Intentio ex parte ministri requiritur quidem ad sacramenta „perficienda" (Eug. IV ad Arm. [D 695]) et tanquam *causa* efficit, ut ritus externus sit sacramentum, ipsum vero ritum externum non constituit ut pars constitutiva, sed sacramentum utpote signum sensibile constat ipso ritu externo sensibili, cuius partes (probabiliter) constitutivae sunt materia et forma. Intentio externa *efficit,* ut materiae formaeque positio sit actus humanus; interna intentio *efficit,* ut materiae formaeque positio sit iuridice actio Christi et eo ipso actio symbolica significans, quid Christus hac sua actione velit conferre sacramenti subiecto. (Hac de re postea plura.)

Caput II.

De sacramentorum necessitate.

Articulus I.

Notiones praeviae.

54. Assertum I. *Necessitas, quae cadit in sacramenta, non est nisi positiva.*

Explicatio. Necessitas illa, quae procedit ex ipsa rerum natura, vocari solet naturalis, sive sit physica, ut habetur in cibo ad vitam naturalem conservandam, sive sit moralis, ut est vita socialis et inde sequens necessitas obedientiae, iustitiae etc. Necessitas autem illa, quae cadere potest in sacramenta, nequit esse nisi positiva, cum tota quanta versetur in ordine supernaturali, qui ex positiva Dei ordinatione procedit. Intra hunc ordinem autem sermo esse potest de necessitate conaturali, quatenus relatio inter res positive constituta efficit, ut aliquae cum aliis rebus interno quodam necessitatis vinculo coniunctae sint.

55. Assertum II. *Necessitas in ordine tam supernaturali quam naturali alia est praecepti, alia medii.*

Explicatio. 1. Necessitas praecepti illa est, quae provenit ex praecepto ut sic. Exemplum habes pro ordine naturali in filio, qui a patre suo iubetur studiis incumbere, quamvis posset ut agricola sustentare vitam suam. In ordine

supernaturali necessitatem praecepti habes e. g. in mandato Ecclesiae abstinendi feria VI ab esu carnium, quamvis posses absque tali abstinentia necessariam exercere temperantiam. Ergo res necessaria *necessitate praecepti ideo solum est necessaria, quia est praecepta.* — Haec praecepti necessitas vocatur etiam necessitas externa, quia non oritur ex natura rei praeceptae; appellari quoque potest necessitas consequens, quia nonnisi consequenter ad praeceptum adest: dato autem praecepto (veri nominis) necessitas adest moralis seu vera obligatio illud implendi ita, ut voluntaria non-impletio sit culpabilis et secum trahere possit salutis aeternae amissionem, ut v. g. non-impletio legis audiendi diebus dominicis Missam vel abstinendi quibusdam diebus ab esu carnium.

Necessitas praecepti cessat, si eius impletio, sive ob ignorantiam invincibilem sive ob aliam causam, est impossibilis.

56. 2. Necessitas medii illa est, quae non ex praecepto oritur, sed ex *interna relatione,* quae adest inter *rem* et *aliquem finem* obtinendum; quae relatio in eo est, quod res, quae dicitur necessaria, a) ex sese positive confert ad finem obtinendum, idque b) ita, ut finis, praetermissa eadem re, per se et via ordinaria obtineri non possit. Exemplum habes in cibo, qui a) ex sese positive confert ad finem suum, id est ad conservandas et restaurandas vires corporis et sic ad vitam conservandam, idque b) ita, ut sine cibo vitae conservatio per se et via ordinaria haberi nequeat. In ordine supernaturali similiter res necessaria est, v. g. gratia sanctificans, quae a) ex sese positive confert (tanquam filiatio Dei adoptiva et naturae divinae participatio) ad vitam aeternam (seu ad visionem beatificam seu ad salutem), idque b) ita, ut absque eadem (gratia) vita aeterna haberi non possit: est ergo a) medium idque b) necessarium ad salutem. Eadem ratione ad gratiam sanctificantem recipiendam in homine adulto requiritur fides supernaturalis itemque supernaturalis retractatio peccatorum gravium: qui actus a) positive conferunt tanquam dispositiones ad gratiam

recipiendam, idque b) ita, ut iis deficientibus gratia prorsus recipi nequeat; unde hi actus necessarii sunt necessitate medii ad gratiam et consequenter ad salutem recipiendam. — Haec medii necessitas vocatur etiam necessitas interna, quia oritur ex ipsa natura rei eiusque interna relatione ad finem. Appellari quoque potest necessitas antecedens (quodcunque merum praeceptum), quia antecedenter ad praeceptum adest; quodsi accedit praeceptum (quod semper fieri solet), sequitur etiam praecepti necessitas.

Hinc est, quod medii necessitas non cessat, etsi ignoretur necessitas rei, vel etsi ipsa res necessaria ex impossibilitate eam recipiendi vel adhibendi non habeatur. Quare, qui sine gratia sanctificante moritur, ad vitam aeternam non venit et salutem non consequitur; et qui non habet fidem supernaturalem, vel qui peccata gravia personalia actu supernaturali non retractat, gratiam sanctificantem et propterea salutem consequi nequit.

57. Assertum III. *Alia est necessitas medii ad gratiam sanctificantem recipiendam, quae vocatur „necessitas ad salutem“, alia ad gratiam receptam conservandam, seu ad perseverandum in gratiae statu.*

Explicatio. Mediorum necessitas distinguenda est iuxta *fines,* ad quos media conducunt. Sic v. g. vox humana necessarium medium est ad concionandum, non vero ad scribendum; gratia sanctificans necessaria est necessitate medii ad salutem, non vero ad recipiendum sacramentum *Baptismi* vel *Paenitentiae.* Maxime consideranda est in oeconomia salutis mediorum ad gratiam sanctificantem relatio. Sunt aliqua media ad eandem recipiendam necessaria, alia solummodo ad eandem conservandam. Qua in re sedulo animadvertendum est ea media, quae sunt necessaria ad gratiam recipiendam, esse *prorsus omni* homini ea carenti

necessaria; econtra media necessaria ad eandem conservandam non esse omnibus eam possidentibus necessaria. Ita v. g. planum est infanti, qui ante adeptum usum rationis est moriturus, *Baptismum* esse medium necessarium ad gratiam sanctificantem recipiendam, nullum autem medium, quod inserviat gratiae conservandae, eiusmodi infanti esse necessarium. Idem valet de adulto, qui in ipso articulo mortis aut *Baptismum* suscipit aut *Paenitentiam*. Similiter illi adulto, quem supponimus nullis expositum esse periculis amittendi gratiam, media ad eam conservandam necessaria non sunt.

58. Assertum IV. *Alia est necessitas medii absoluta, alia hypothetica.*

Explicatio. Absoluta medii necessitas cadit in illud medium, quod *in se* seu *in re* adesse debet *neque ulla re alia suppleri potest*. Huiusmodi necessitas (ad salutem) competit gratiae sanctificanti, et in eo, qui peccata gravia personalia commisit, eorum retractationi per attritionem vel contritionem, et generatim competit illis actibus internis, qui sunt (ad salutem) necessarii: non possunt alia re suppleri.

Hypothetica medii necessitas in illud cadit medium, quod quidem *per se* in re seu in proprio suo esse applicari debet, attamen hypothetice, i. e. saltem sub conditione, quod hic et nunc applicari nequeat, *alia re suppleri potest*. Ut vero medium supplendum vere necessarium dici possit, res supplens concipienda est ut medium secundarium, a re supplenda in ordine volitionis dependens, seu res supplens debet esse vel continere desiderium seu „votum“ rei supplendae tanquam medii per se indispensabilis et in esse suo proprio adhibendi.

Haec medii absolute et hypothetice necessarii distinctio in ordine naturali locum non habet; nam media naturaliter necessaria suppleri non possunt per eorum desiderium: nutrimentum in se est medium indispensabile ad vitam con-

servandam, sed suppleri nequit per desiderium seu famem. In ordine autem supernaturali res aliter se habere potest, cum media omnia sint institutionis positivae divinae. Sat facile enim accidere potest, ut media externa, ad quae applicanda aliorum hominum necessaria est actio, applicari nequeant; ideo positive convenit, ut Deus haec media constituerit solummodo hypothetice necessaria, seu supplebilia per actus internos, quo securius hominum saluti sit provisum.

59. Assertum V. *Aliud est „necessitas voti alicuius rei", aliud „necessitas rei in voto".*

Explicatio. „*Votum*" hic sumitur pro desiderio. Desiderii obiectum possunt esse res — ut alias omittamus — necessariae necessitate sive medii sive praecepti. — Ratione obiecti votum est aut *explicitum*, si nempe obiectum desideratum menti obversatur in sua propria specie, — aut *implicitum*, si obiectum desideratum in alia specie saltem hypothetice contentum menti obversatur.

„Necessitas voti" cadit in omnes omnino res necessarias, sive istae res sint necessariae necessitate medii sive tantummodo praecepti gravis. Ita v. g. nullus, qui ad abstinendum ab esu carnium ab Ecclesia obligatus est, salutem consequetur, nisi hanc legem *velit* implere, vel nisi, si legem non cognoverit, talis sit habitualis dispositionis, ut eam, si sibi esset cognita, implere vellet.

„Necessitas rei in voto" cadit tantummodo in media necessaria, et si eiusmodi necessitas rei in voto affirmatur, asseritur non solum votum, sed etiam ipsam rem in se requiri et esse de necessitate medii.

„Longe autem diversum est dicere, votum rei esse necessarium et rem esse necessariam in voto: prius significat *voluntatem* observandi rem praeceptam esse necessariam . . .; posterius *rem* praeceptam tantae necessitatis esse ad salutem, ut, si non reipsa, saltem voto debeat haberi." (H. Tournely, De Euch. q. 6, a. 1, Praenot.)

Articulus II.

De sacramentorum necessitate pro singulis.

60. Assertum I. *Sacramenta collective sumpta sunt pro singulis necessaria necessitate medii ad salutem, eaque hypothetica, non absoluta.*

Explicatio. Sacramenta „collective sumpta" intelleguntur sacramenta hoc sensu, ut homo ea collective sumpta, id est omnia simul, omittere salva salute nequeat. Hoc non est idem ac dicere omnia et singula ei esse necessaria ad salutem media. Hoc sensu Assertum est dogma ex CTr sess. 7, can. 4 (D 847), ubi contra novatores saeculi XVI definitur: „Si quis dixerit, sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, A. S." Necessitas hypothetica exprimitur termino „aut eorum voto".

61. Assertum II. *Necessarium necessitate medii ad salutem omnibus et singulis hominibus est solum sacramentum Baptismi, baptizatis graviter lapsis Paenitentia* (Dogma ex CTr sess. 7, de Bapt. can. 5 [D 861]; sess. 14 de Paenit. cap. 2 et can. 6 [D 895 916]).

Explicatio. Concedi quidem potest, *privilegium* aliquod divinum, quo quis ab hac lege eximatur, non repugnare. Attamen exceptiones non praesumuntur, sed probandae sunt. Iamvero probatio non habetur nisi pro infantibus martyribus, qui teste traditione baptismo sanguinis, absque Baptismo fluminis re aut voto suscepto, salvari possunt. Quoad Paenitentiam nullum exstat privilegium.

62. Assertum III. *Necessaria media ad perseverandum in gratiae statu probabiliter sunt pro fideli in gravibus contra fidem periculis constituto Confirmatio, pro omni fideli adulto diutius viventi S. Communio, pro graviter aegrotante Unctio, immo pro graviter aegrotante peccatore, qui certo valide absolvi nequit, Unctio per accidens potest esse medium ad salutem necessarium* (cfr. C 944).

63. Assertum IV. *Sacramenta Ordinis et Matrimonii nulli fideli per se sunt necessaria media ad perseverandum, quamvis Matrimonium possit dici per accidens necessarium ei, qui secus castitatem statui convenientem servare nequit.*

64. Assertum V. *„Votum sacramenti" ad iustificationem sufficiens non est necessario idem atque intentio requisita et sufficiens ad validam sacramenti susceptionem.*

Explicatio. 1) Sacramenti „votum" ex natura sua est vel potest esse voluntas quaedam *irrealiter conditionata.* Ex omnium enim consensu votum, prouti relationem dicit v. g. ad Baptismum, ita exprimitur: 1. *„Si* Baptismum, quem necessarium esse scio, suscipere *possem,* illum revera *acciperem;* postea vero, si potero, eum suscipiam"; et si ista voluntas cum caritatis vel contritionis actu coniungitur, „votum" habetur iustificans. 2. At ille quoque, qui Baptismum suscipere posset, votum sine sacramenti reali susceptione habere potest, dummodo eliciat actum perfectae caritatis vel contritionis et simul (implicite) dicat: *„Si* Baptismum, quem, utpote necessarium, postea (si potero) suscipiam, hic et nunc suscipere *deberem,* revera *susciperem";* et etiam talis homo iustificatur sacramenti voto (Pius V in

damnatione Baii sent. 31—33 [D 1031—1033]). 3. Immo etiam ille, qui nihil omnino scit de Baptismate, huius voto iustificari potest, si videlicet simul cum vel in actu caritatis vel contritionis voluntatem habet omnia faciendi, quae ad salutem vi medii vel vi praecepti necessaria sunt, ideoque hunc habet animum, ut implicite dicat: „*Si scirem* Baptismum exsistere et necessarium esse ad salutem, illum revera (voluntate saltem praedominante) *vellem* suscipere"; hac enim unica ratione plurimi infideles salvari possunt. Hinc votum iustificans *potest* esse voluntas mere *conditionata,* fundata in conditione *irreali:* „Si scirem . . ."

Aliter intentio ad validam susceptionem requisita; haec est simpliciter vel aequivalenter *absoluta,* ita exprimenda: „*Volo* suscipere sacramentum". Quod adeo verum est, ut valeat etiam pro casu intentionis conditionatae: „Si nondum sum baptizatus, volo (non: vellem) suscipere sacramentum". Intentio autem irrealiter conditionata: „Si scirem . . ., vellem" esset insufficiens.

Habet ergo votum sacramenti similitudinem cum intentione *illa interpretativa,* quae per se ad sacramenta valide suscipienda omnium consensu non sufficit, scilicet ad voluntatis habitum vel inclinationem talem, quae exprimitur ita: „Si scirem exsistentiam et necessitatem Baptismi, eum suscipere vellem".

65. 2) Sacramenti „votum" potest versari circa rem (v. g. Baptismum) mere indeterminatam seu, ut melius dicitur, *nulla humana cognitione determinatam.* Nam gentilis votum (in contritionis actu inclusum) ita a nobis exprimitur: „Si sciret Baptismum exsistere et necessarium esse, illum suscipere vellet". Sed de facto nihil scit de Baptismo, cum conditio „si sciret" sit irrealis; unde voti obiectum *per eius cognitionem* non est determinatum. Si eius votum ita interpretamur: „Si sciret Deum vel Christum aliquam rem, puta Baptismum, tanquam necessariam instituisse, vellet eam recipere", obiectum iterum per nullam *humanam* cognitionem determinatum est. (Si in eo supponimus cognitionem Baptismi, sed ignorantiam circa eiusdem necessitatem, votum

ita exprimendum est: „Si sciret Baptismi necessitatem, eum suscipere vellet"; et tunc obiectum est quidem determinatum humana cognitione, sed voluntas manet irrealiter conditionata et deficit ab intentione necessaria ad validam Baptismi susceptionem iuxta 1.)

Atvero intentio ad validam sacramenti susceptionem requisita *humanam* aliquam ipsius sacramenti cognitionem et determinationem indeque sequentem volitionem exigit (vide infra n. 84 sqq.), dum „votum" exsistere potest absque ulla eiusmodi cognitione et volitione. Hinc est quod ille, qui interne dicit: „Volo catholice mori", etsi *ipse* non cognoverit Paenitentiam et Unctionem, psychologice suam facit intentionem humanam catholicorum, qui determinate cognoscunt et volunt sacramenta determinata „catholica" in mortis periculo suscipere. Econtra gentilis, qui dicit: „Volo mori, quo modo Deus vult homines mori", nisi ipsa sacramenta moribundorum ut a Deo volita cognoverit, ea apprehendit nulla *humana* mente cognita et determinata et volita, ne implicite quidem, videlicet psychologice aliorum hominum scientiam (obiectum volitionis determinantem) et desiderium suum faciendo.

66. 3) „Votum" sacramenti se habet per modum *merae dispositionis* ad *gratiam* recipiendam, intentio vero est elementum aliquod constituens *capacitatem* ad *sacramentum* recipiendum. „Votum" ergo, utpote dispositio, reddit hominem habilem ad hoc, ut *Deus* immediate ei infundat gratiam; intentio reddit hominem habilem, ut ex *actione humana* ministeriali valeat recipere ius ad gratiam: sunt ergo votum et intentio habilitates ad recipiendos effectus ex parte diversorum generum agentium, aut solius Dei, aut hominis agentis in persona Christi ut hominis.

Ergo omnino tenendum videtur „votum" sacramenti a divina bonitate tanquam sufficientem dispositionem ad extrasacramentalem iustificationem acceptari, quamvis multo minus sit, quam intentio ad validam sacramentorum (excepto, ut videtur, Matrimonio qua sacramento) susceptionem requisita, et consequenter illegitimum esse ita concludere: „Vo-

tum" sufficit (ut dispositio) ad iustificationem extra sacramentorum actualem usum recipiendam; ergo sufficit etiam ad iustificationem per ipsa sacramenta recipiendam.

Articulus III.

De sacramentorum necessitate quoad Ecclesiam.

Necessitas quoad Ecclesiam dupliciter consideratur: necessitas sacramentorum pro Ecclesia (Assert. I—III), — necessitas, qua tenetur Ecclesia circa sacramenta (Assert. IV—VIII).

67. Assertum I. *Ecclesiae ad suum esse aliqua sacramenta necessaria sunt necessitate medii absoluta, et Baptismus quidem necnon Matrimonium, ne esse desinat ex defectu membrorum, Ordo autem, ne deficiat in suis constitutivis.*

Explicatio. Cum homines nonnisi per *Baptismum* eumque re susceptum membra fiant Ecclesiae (C 87), sine Baptismo re collato et suscepto Ecclesia esse prorsus desineret. — Idem valet de *Matrimonio;* etenim cum homines (iuxta legem naturalem et positivam) nonnisi ex matrimonio ortum ducere debeant et cum in praesenti gratiae ordine inter fideles contractus matrimonialis iniri non possit, quin eo ipso sit sacramentum (C 1012 § 2), liquet, quod cessante sacramento Matrimonii cessaret Ecclesia.

Ad Ecclesiae constitutiva pertinet hierarchia ordinis (CTr sess. 23, can. 6 [D 966]); atqui haec non constituitur nisi sacramento *Ordinis* (ib. cap. 4 [D 960]); ergo hoc sacramentum est de necessitate absoluta pro Ecclesia.

68. Assertum II. *Ne Ecclesia desit essentiali suo fini latreutico, absolute ei necessarium est sacramentum SS. Eucharistiae.*

Explicatio. Quoniam omnis veri nominis religio cultu eget sacrificali, et cum nullum aliud sacrificium praeter eucharisticum a Deo acceptetur, *SS. Eucharistia* qua sacrificium ad Ecclesiae finem colendi Deum est absolute necessaria.

69. Assertum III. *Ne Ecclesia desit essentiali suo fini sanctificandi homines, omnia sacramenta ei quam maxime conveniunt, etsi quoad omnia et singula medii necessitas adstrui posse non videatur.*

70. Assertum IV. *Ecclesia nullum abrogare potest sacramentum.*

Explicatio. Hoc Assertum valet non solum de iis sacramentis, quae Ecclesiae sunt de necessitate medii ad suum esse et ad fines suos essentiales consequendos, sed etiam de ceteris, quae fini, qui ei praestitutus est, sanctificandi fideles quam maxime conveniunt. Ratio est in eo, quod, quae sunt iuris divini, Ecclesiae praesupponuntur, ut fidei articuli et ipsa sacramenta omnia.

71. Assertum V. *Ecclesia homines a necessario sacramentorum usu dispensare non potest.*

Explicatio. A *libero* sacramentorum usu dispensatio seu „legis in casu speciali relaxatio“ (C 80) locum habere non potest, cum dispensatio versetur tantummodo circa ea, quae sunt necessaria necessitate sive medii sive praecepti

divini. Necessitas autem medii exprimitur hac lege: „Homines sacramenta respective sibi necessaria suscipere debent aut re aut voto“. Ut vero haec lex ullo in casu non valeat, Ecclesia non potest efficere. Et si forte Ecclesia alicui homini non daret opportunitatem sacramenti recipiendi (et hac ratione non quidem dispensaret, sed realem susceptionem redderet impossibilem), adhuc valeret lex divina, sacramentum esse suscipiendum aut re *aut voto*. Item, si Ecclesia aliquem impediret ab usu sacramenti necessarii necessitate *praecepti divini,* non dispensaret, sed intactam relinqueret legem divinam positivam, quae ex natura sua adnexam habet conditionem: „si fieri potest“.

72. Assertum VI. *Ecclesia in genere tenetur iure divino curare, ut infideles sacramentum Baptismi, fideles cetera suscipiant sacramenta.*

Explicatio. „In genere“ eiusmodi obligatio asserenda est, cum secus Ecclesia aut in suo esse deficeret aut deesset fini essentiali sanctificandi fideles. Quoad infideles obligatio Ecclesiae curandi, ut *Baptismum* suscipiant, implenda est per precationes et missiones, id est praedicatione iis persuadere debet, ut, movente gratia, sponte Baptismum petant et suscipiant; filios autem fidelium ita baptizandos curare debet Ecclesia, ut parentes fideles legibus, et, si necesse fuerit, etiam poenis inducat ad deferendos filios suos Ecclesiae baptizandos.

Ordinis et *Matrimonii* susceptionem Ecclesia ita procurare debet, ut nullum quidem cogat, universalem autem populi dispositionem religiosam ita foveat, ut apti iuvenes ad Ordines adspirent, alii et aliae Matrimonium amplectantur.

Sacramenta *SS. Eucharistiae, Confirmationis, Paenitentiae, Unctionis* ita suscipienda curare debet Ecclesia, ut fideles impense invitet aut positivis legibus (et poenis) adigat, ut fecit quoad S. Communionem paschalem (C 859 et 1240 § 1, n. 6) et Paenitentiam (C 906 et 1240 § 1, n. 6), quoad Confirmationem (C 787) et Unctionem (C 944).

73. Assertum VII. *Ecclesia iure divino tenetur in genere dare hominibus opportunitatem suscipiendi sacramenta, imprimis maxime necessaria, quantum pro rerum temporumque ratione fieri potest.*

Explicatio. In genere Ecclesiam ad hoc teneri probatione non indiget, cum secus de bono communi, cui providendo sacramenta Ecclesiae commissa sunt, actum esset. Lex autem haec diversimode urget pro possibilitate, qua impletio fieri potest. Ubi rerum temporumque adiuncta infausta sunt, ipsa Ecclesia ob physicam vel moralem impossibilitatem excusata est.

74. Assertum VIII. *Ecclesia iure divino non tenetur in omnibus et singulis casibus sacramenta etsi maxime necessaria petentibus praebere, quamvis physice fieri posset.*[1])

Explicatio. Assertum valet de ipso *Baptismo* in casu infantis moribundi, qui sine Baptismo salvari nequit. Ergo idem a fortiori dicendum est quoad alia sacramenta (ut Paenitentiae, S. Communionis etc.), maxime si haec voto suscipi possunt. Instructio S. C. de Propaganda Fide diei 17. April. 1777 (Collectanea I, n. 522) affert sequens S. Officii Responsum de die 28. Jan. 1637 „ad dubium de infidelium infantibus filiis in proximo vitae discrimine constitutis": „Baptismum posse conferri infantibus in articulo mortis moraliter certe constitutis, si tamen id fiat sine scandalo". Ex quo Responso S. C. de Propag. Fide eruit haec: „In ipso quoque mortis articulo baptizandos quidem filios infantes infidelium, sic tamen, ut scandalum vitetur, nec proinde maius quoddam infidelium odium in christianam religionem atque in christianos saevitia concitetur". Sentit ergo S. Eccle-

[1]) Cfr. Umberg, Absolutionspflicht und altchristliche Bußdisziplin: Scholastik 2 (1927) 321—341.

sia, interdum bonum commune etiam in sacramentorum oeconomia praevalere bono privato, et etiam in hac materia valere adagium alias communiter admissum, de duobus malis minus esse eligendum. — Hinc etiam explicatur, cur Ecclesia non contrarietur iuri divino eo, quod ne in extrema quidem moribundi necessitate tribuat sacerdoti facultatem benedicendi oleum infirmorum, licet eam dare posset, statuente C 945: „Oleum olivarum, in sacramento Extremae Unctionis adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo vel *a presbytero,* qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit".

Ergo Ecclesia non est obligata, ut cuilibet fideli vel fidelium coetui, qui in regiones sese confert dissitas, statim mittat sacerdotes. Nec missionarii ab Ecclesia obligari necessario debent, ut adeant moribundos infideles vel fideles, quoties aditus grave ipsis crearet incommodum ob molestiam itineris, morbi contrahendi periculum, latronum insidias etc. (Cfr. Génicot-Salsmans, Casus. Ed. 4, p. 391).

Caput III.

De sacramentorum susceptione.

Ordo rerum: Conceptibus susceptionis spiritualis, realis, invalidae et validae expositis, primo de valida susceptione agendum est, et deinde secundum hunc ordinem:

Susceptio etsi *valida,* non est necessario *fructuosa,* — et, si fructuosa, non necessario *legitima,* — et, si legitima, non necessario *licita.*

75. *Conspectus susceptionis sacramentorum:* vide pp. 58 sq.

Articulus I.

De sacramentorum susceptione mere spirituali seu „in voto".

76. Assertum I. *Susceptio sacramenti dicitur spiritualis seu „in voto", quando absque realis sacramenti susceptione aliquid suscipitur, ad quod recipiendum per se sacramentum ipsum realiter est suscipiendum.*

Explicatio. Ex Ecclesiae doctrina (CTr sess. 6 cap. 4 [D 796]; sess. 14 de Paenit. cap. 2 et 4 [D 895 et 898]) constat, saltem *Baptismi* et *Paenitentiae* sacramenta posse „in voto" suscipi ita, ut gratiae sanctificantis acquisitio sine actuali et reali ipsorum sacramentorum receptione habeatur. Praeterea etiam *SS. Eucharistia* ex doctrina Ecclesiae (CTr sess. 13 cap. 8 [D 881]) „spiritualiter" ab iis, qui „voto" eam comedunt, suscipi, et hac ratione eiusdem fructus et utilitas percipi potest. [Continuatur p. 60]

75. *Conspectus susceptionis sacramentorum.*


Susceptio
spiritualis s. „in voto“ (exc. O et M)
cum caritatis vel contritionis perfectae actu: gratia prima cum iure ad actuales (B et P).
omni sincero iusti desiderio (oratione): gratia secunda cum iure ad actuales (durante necessitate) (C et E et U).
realis s. „in re“
invalida seu materialis („sacramenti tt“): in subiecto *incapaci*
valida seu sacramentalis seu formalis („rei-sacramenti“): in subiecto *capaci remote:* homo viator, baptizatus pro C—M, peccator pro P, adultus graviter infirmus pro U, mas pro O, adultus sine imp. dirim. pro M
proxime: si adultus, cum debita intentione
fructuosa („rei“): in subiecto *disposito*
infructuosa (sine „re“): in subiecto *indisposito,* id est carente fide vel spe vel attritione pro sacr. mortuorum
substantialiter fructuosa (gratiae primae vel se-
accidentaliter melius vel perfecte fructuosa (plu-


cundae): in subiecto substantialiter *disposito* i. e. habente fidem, spem, attritionem pro sacramentis mortuorum, statum gratiae pro sacramentis vivorum (pro E: acquisitum Baptismo resp. Absolutione)
rium vel omnium effectuum): in subiecto accidentaliter melius vel optime disposito i. e. pro gradu status gratiae, et pro numero, intensitate, duratione actuum praeparantium
legitima
licita
carente statu gratiae pro sacr. vivorum
subiective sacrilega: in subiecto indispositionis suae conscio (seu cum „obice“ formali vel subiectivo)
mere obiective sacrilega seu neutralis: in subiecto indispositionis suae inconscio (seu cum „obice“ materiali vel obiectivo).
sacramentum ita susceptum (semel) reviviscit remoto (durante „re-sacramento“) obice.

77. Assertum II. *Spiritualiter seu in voto suscipi possunt illa sacramenta, quorum „res" (gratia sanctificans vel gratiae actuales) aut necessaria aut utilis est.*

Explicatio. Excipiuntur ergo duo sacramenta socialia seu status, id est *Ordo* et *Matrimonium,* quippe quorum effectus proprius („res"), videlicet gratiae actuales ad status obligationes rite implendas iis solum utiles et necessariae sunt, qui per realem horum sacramentorum susceptionem statum Ordinis vel Matrimonii revera amplexi sunt, — gratiae autem habitualis augmentum aeque bene aliis mediis, ut v. c. Communione spirituali aut operibus meritoriis, acquiri potest. Reliquorum autem sacramentorum „res" potest esse homini aut necessaria aut utilis: necessaria est gratiae sanctificantis acquisitio, quae per se solum Baptismo vel Paenitentia fieri potest; necessariae pariter aut saltem utilissimae possunt esse gratiae actuales, quae per se in *Confirmatione* recipiuntur, ad fidem profitendam, vel, quae per se in *Unctione* dantur, ad superanda animae pericula ex lethali morbo vel senio oriunda, vel quae per se *Communione* sacramentali recipiuntur et requiruntur ad perseverandum.

78. Nota. Ipsum votum quoad *Baptismum* et *Paenitentiam* consistit in actu perfectae caritatis vel contritionis cum desiderio sive explicito sive implicito recipiendi, si fieri possit, (saltem ante mortem) ipsum sacramentum; quoad sacramenta *Eucharistiae, Confirmationis, Unctionis* votum sacramenti est sincerum christiani iusti desiderium sacramenta durante necessitate recipiendi; quod desiderium sufficienter haberi videtur in oratione, qua iustus christianus gratias sibi necessarias vel maxime utiles debito modo petit: ita namque verificari videtur id totum, quod CTr (l. c.) ad Communionem spiritualem postulat: „qui voto propositum illum caelestem panem edentes, fide viva, quae per caritatem operatur (Gal 5, 6), fructum eius et utilitatem sentiunt".

Articulus II.

De sacramentorum susceptione reali seu „in re“.

79. Assertum. *Susceptio sacramentorum realis seu „in re“, quae tunc habetur, si ipsum sacramentum de se validum applicatur, est, ut videtur, aut invalida (materialis seu „sacramenti tantum“) aut valida (sacramentalis seu „rei-sacramenti“).*

Explicatio. Posito casu, quo minister duos infantes, quos aestimat esse moribundos, dum revera alter iam est mortuus, baptizat iuxta Rit. Rom. tit. 2, cap. 2, n. 30 ita, ut utriusque capiti per modum unius infundat aquam dicendo: „Ego vos baptizo . . .“, ipsa quidem Baptismi confectio et applicatio evidenter est valida: at solum in infante vivo effectum sortitur sacramentalem, minime vero in infante iam mortuo; hic enim ex Baptismo validō nullum recipit effectum sacramentalem, sed effectum mere naturalem madefactionis: infans mortuus validum sacramentum suscipit invalide seu mere materialiter seu recipit „sacramentum tantum“, dum infans vivus sacramentum recipit validum etiam valide seu sacramentaliter seu recipit ex Baptismo validō effectum supernaturalem.

Ergo, nisi contrarium positive probetur, eadem distinctio inter validam et invalidam sacramenti validi susceptionem facienda est in ceteris quoque sacramentis. Evidentissime haec distinctio locum habet quoad *SS. Eucharistiam „in suscipi“* seu in S. Communione. SS. Eucharistiae sacramentum „in esse“ validum suscipi posse aut valide aut invalide nemo est qui neget. Ita v. g. invalide SS. Sacramentum validum suscipitur a non baptizato, vel a baptizato, qui illud suscipere nulla ratione intendit; qui proinde S. Hostiam sumunt mere materialiter seu „sacramentum tantum“ (ut calix vel ciborium), non autem, ut loquitur CTr sess. 13, cap. 8 (D 881), „sacramentaliter“.

Articulus III.

De sacramentorum susceptione valida.

80. Assertum I. *Sacramentum validum invalide suscipitur a subiecto, quod est „incapax" seu caret „capacitate".*

Explicatio. Subiecti capacitas nequit, ut videtur, in eo consistere, quod circa ipsum possit applicari sacramentum validum, nam SS. Eucharistia valida potest invalide suscipi ab aliquo, qui vere eam manducat. Conceptus validae susceptionis potius desumendus est ex eo, quod subiectum ex sacramento valido percipere possit aliquem eius *effectum sacramentalem*. Atqui iste effectus sacramentalis, quo recepto sacramenti susceptio dici potest valida, est ille effectus, qui vocatur „res-sacramentum". Ut videre est in Baptismo, qui dicitur valide susceptus, si ex eo receptus est character baptismalis (cum iure ad „rem"), quamvis forte gratia sanctificans non fuerit recepta. Proinde capacitas suscipiendi sacramentum nihil aliud est quam *habilitas ad recipiendum ex sacramento illum effectum, qui dicitur „res-sacramentum"*; et subiectum capax est ille homo, qui habilis est ad recipiendum ex sacramento „rem-sacramentum".

81. Assertum II. *Subiectum capax quoad omnia sacramenta non est nisi 1) homo, 2) viator, 3) habens, si est adultus, debitam personalem intentionem internam, — 4) quoad cetera sacramenta praeter Baptismum, si insuper recepit valide Baptismum (characterem baptismalem), quoad S. Communionem, ut possit speciem manducare (bibere), — quoad Paenitentiam, ut commiserit peccata postbaptismalia, — quoad Unctionem, ut sit saltem doli capax seu adultus et ex interno morbo*

vel senio graviter infirmus, — quoad Ordinem, ut sit mas, — quoad Matrimonium, ut sit liber ab impedimentis dirimentibus, — 5) quoad Baptismum, Confirmationem, Ordines, ut eadem sacramenta nondum susceperit.

82. Nota. Minime vero ad capacitatem seu ad sacramenta valide recipienda requiritur fides, spes, charitas vel attritio; excipitur unice *Paenitentia,* in qua supernaturalis attritio, quae concipi nequit sine fide et spe antea habita, est aut pars essentialis materiae aut saltem conditio sine qua non valet absolutio.

83. Assertum III. *Ad sacramentum valide suscipiendum ex parte subiecti adulti requiritur intentio saltem habitualis implicita eaque (excepto, ut videtur, Matrimonio) interna, qua videlicet sacramentum, ut tale humana mente saltem implicite cognitum, obiectum est verae volitionis non retractatae.* (Communissima)

Explicatio. Ex parte infantium (et perpetuo amentium) ad validam sacramentorum susceptionem nulla requiritur intentio personalis; nam sicut sine personali voluntate peccato originali iustitiam amiserunt, sic etiam sine personali voluntate iustitiam recuperare possunt. Aliter res est in adultis, id est iis, qui rationis usum aut habent aut aliquando habuerunt.

84. „Intentio" hic intellegitur voluntas suscipiendi sacramentum. Intentio, quae actu in susceptione adest cum conscientia sive directa sive reflexa, vocatur *actualis;* quae actu adest, sed sine eius advertentia, vocatur *virtualis;* quae adfuit actu, sed nunc in ipsa susceptione non adest, quin tamen retractata sit, vocatur *habitualis;* quae neque adfuit neque

adest, quae tamen ex aliqua voluntatis inclinatione nunc adesset, si homo ad circumstantias adverteret, vocatur *interpretativa.*

85. „Implicita" dicitur intentio relate ad *obiectum,* quod videl. non in propria sua specie menti obversatur et propterea explicite intendi nequit, sed ante mentem versatur implicitum seu contentum in aliena specie ita, ut, re hac continente volita, etiam res illa contenta intendi dici debeat. Maxime hoc obtinet, si quis *alterius hominis intentionem suam facit* et sic suam mentem cum alterius mente *psychologice identificat.* Ita v. g. mimus, qui in dramate quoad singula sibi adhuc plene incognito agere vult partes personae, quae in theatro iuxta textum et mentem auctoris suscipere debet Baptismum, iam nunc suam facit mentem auctoris adeoque habet intentionem implicitam in theatro suscipiendi Baptismum (qua ritum externum).

86. „Interna" vocatur intentio iterum relate ad *obiectum* intentum, si videlicet homo in sacramenti susceptione non solum ritum mere externum vult in se suscipere seu pati, sed *aliquid plus,* id est ritum externum, *quatenus* est verum sacramentum efficax gratiae (vel effectus supernaturalis) seu prout actio externa ritualis est iuridice actio Christi vel actio vere sacramentalis, seu quatenus intenditur natura interna supernaturalis ritus illius, qui est sacramenti.

87. „Vera volitio" opponitur velleitati idque dupliciter: a) eo, quod est verus *actus,* non habitus, et b) eo, quod est aut simpliciter aut aequivalenter volitio *absoluta,* quae exprimitur verbo „volo", dum volitio non vera, sive ut actus sive ut habitualis inclinatio, exprimitur voce „vellem", quod significat: „de facto nolo, quamvis in aliis circumstantiis, quae verificari non supponuntur, vellem": est volitio irrealis, non realis, velleitas, non volitio.

88. Ratio Asserti desumitur imprimis ex praxi Ecclesiae; nam sicut totus fere tractatus de sacramentis, ita quoque doctrina de intentione abstrahenda est ex praxi. Iamvero illa doctrina nequit esse vera, quae praxi Apostolorum

et Ecclesiae contradicit, immo gravissimam rigorismi exaggerati notam Apostolis et Ecclesiae inureret; atqui eiusmodi est doctrina Asserto opposita, v. g. opinio, quae dicit, ad validam Baptismi susceptionem sufficere illam „intentionem", quae omni insit attritioni verae, vi cuius attritus velit adhibere omnia salutis media a Deo praecepta et implicite dicit: „Si scirem, a Deo aliqua salutis media esse praecepta, ea suscipere vellem".

Ad *maiorem* notandum est factum, quod Ecclesia, Apostolorum secuta exemplum, nunquam permisit, ut Baptismus daretur v. g. Iudaeo, de cetero bonae fidei et attrito vel etiam contrito, nisi ipsum Baptismum petiisset[1]); cuius praxis ratio unica ea potest esse, quod huiusmodi Iudaeo certo deesse censetur necessaria ad validam Baptismi susceptionem intentio. Si bonae fidei vel attritionis manifestatio fuisset signum vel probabile sufficientis intentionis, cum Apostolis Ecclesia fuisset crudelis contra Iudaeum, huic ne in mortis quidem articulo subveniendo medio salutis probabiliter valido; defuisset Ecclesia etiam officio suo in regnum Christi aggregandi qui aggregari voluerunt. Ceterum nemo ausus sit asserere, habere sufficientem intentionem et posse consequenter valide baptizari eum Iudaeum, qui usque ad ultimum vitae suae stadium vaferrimum sese ostendit hostem religionis christianae et ardentissimum asseclam religionis Mosaicae, etsi in fine vitae suae a ministro suae religionis inductus est ad verum attritionis vel etiam contritionis actum, quo implicite dicit sese adhibere velle omnia salutis media a Deo Abraham, Isaac et Jacob ordinata, inter quae media numerandus est obiective etiam Baptismus.

Idem, quod sic Ecclesia negative determinavit et docuit, etiam positive pronuntiavit docendo, impii per Baptismum iustificationem esse renovationem interioris hominis „per *voluntariam* susceptionem gratiae et donorum" (CTr sess. 6,

[1]) S. Officium die 30. Martii 1898 expresse negavit posse Baptismum sive absolute sive *conditionate* conferri Mahumetano adulto, qui supponatur attritus, nisi alia signa intentionis manifestet. (Coll. Prop. F. II, n. 1993)

cap. 7 [D 799]). Haec autem „voluntaria“ susceptio gratiae — nisi contrarium positive probetur — eo solum habetur, quod homo aut ipsum Baptismum humana mente cognitum sibi applicari vult aut suscipere vult gratiam et dona, quatenus sunt effectus sacramentales humana mente cogniti.

90. Si hanc Ecclesiae doctrinam cum eiusdem et Apostolorum praxi coniungimus, habere videmur normam claram diiudicandi intentionem sufficientem ab insufficienti, dicendo: *talis voluntas interior ad validam Baptismi susceptionem requiritur, qualis interior ex parte donatarii requiritur ad donationem inter vivos homines valide acceptandam,* vi cuius scl. acceptatio recte dici potest „voluntaria“. Revera enim in Baptismo (idemque valet de reliquis sacramentis) agitur de donatione inter homines, non tantum de donatione ex parte Dei (qui *proxime* non videtur nisi executor esse donationis validae). Unde, ut communis habet sententia nunc theologorum, etiam minister sacramenti habere debet eam interiorem voluntatem, quam ad donationem inter vivos in donante requiri apertum est; idem ergo asserendum est de donatario.

Iamvero voluntas seu intentio ad validam acceptationem in donatione inter vivos requisita has debet habere dotes:

91. 1. Intentio debet esse determinata quoad obiectum seu versari circa obiectum determinatum cognitione humana. Quod contractus donationis circa rem omnino indeterminatam fieri nequeat, satis liquet et a nemine in dubium vocatur. Quaeri autem potest, quomodo res, circa quam contractus initur, determinata esse debeat. Et respondendum est: cognitione humana; nam determinatio per cognitionem mere divinam plane non sufficit, ut de re ita determinata contractus inter homines sit possibilis, sed ipsi contrahentes scire debent, quid alter dare, quid alter acceptare velit. Hocque valet non tantummodo de donante, sed etiam de donatario. Inde est, quod ille, qui interne dicit: „Ego semel pro semper declaro, me acceptare velle, quaecunque bona mihi sive a Deo sive ab hominibus donantur“,

nonnisi hoc rationabiliter velle potest: „Quotiescunque mihi aliquod bonum offeretur in donum, ego declaro me facturum *tunc* esse actum acceptationis"; ipsum acceptationis actum nunc nondum posuit. Similiter ille quoque, qui se resolvit ad omnia dona supernaturalia, quae per homines ei offerentur, acceptanda, solummodo vult seu sibi proponit in futuro illos actus ponere, qui ad vere acceptanda dona requiruntur; sed hic et nunc nondum habet voluntatem circa obiectum ita determinatam, ut qua acceptatio sufficiat pro futuro.

Nec sufficit recurrere ad determinationem donorum *per cognitionem divinam* iamiam factam, dicendo: „Deus iam nunc scit, quae bona mihi in futuro sit concessurus, et eadem ipsa iam nunc accepto". Haec voluntas sufficit quidem quoad bona immediate a Deo recipienda, non autem quoad bona divina per homines recipienda; secus sufficeret etiam quoad omnia bona ab hominibus aliquando recipienda, nam etiam haec sunt iam determinata per cognitionem divinam.

92. Opus ergo est determinatione obiecti per cognitionem humanam. Quod fieri potest *dupliciter:* aut eo, quod donatarius obiectum *explicite* cognovit aut solum *implicite.* Explicite v. g. Petrus novit donum, quod ipsi a Paulo offertur, puta anulum aureum; implicite idem donum novit Andreas, cui Petrus narravit se rem pulchram magni pretii (non nominando anulum aureum) a Paulo accepisse: quo in casu Andreas Paulum rogando, ut etiam sibi tale donum quale Petro dederit, donare velit, Petri et Pauli cognitionem, non quidem per *conceptualem identitatem*, sed tamen per *identitatem,* quam vocare possumus *psychologicam,* facit suam et sic ipsa petitione iam a priori acceptat donum cognitione humana determinatum, id est anulum aureum, si Paulus eum est daturus. Similiter res se habere potest in acceptatione sacramentorum vel effectuum sacramentalium: possunt cognita esse ideoque determinata per cognitionem aut propria mente (per conceptus formaliter identicos) aut aliorum mente (per identitatem psychologicam); in primo casu

explicite nota et determinata sunt, in altero implicite. Hinc qui nescit, quid sit sacramentum vel effectus sacramentalis, novit vero, „christianos“ habere in sua religione aliqua bona, potest eadem bona desiderare et a priori acceptare, utpote sufficienter christianorum cognitione, quorum cognitionem psychologice facit suam, determinata. Hac ratione qui novit eos christianos, qui nonnisi duo sacramenta, scl. Baptismum et Cenam, habent, volendo habere eadem, quae hi christiani habent, suam facit intentionem horum christianorum et sic sufficientem habet intentionem recipiendi Baptismum et Cenam. Si vero illi, quos novit, christiani habent omnia sacramenta, ut plurimi schismatici et catholici, volendo, quae hi habent, horum cognitionem suam facit (psychologice) et sic sufficientem habet intentionem ad omnia sacramenta recipienda.

93. Insuper autem notandum est, cognitionem, ut obiectum sit satis determinatum, debere, quamvis non omnia accidentalia, attamen *substantiam obiecti* amplecti. Ideo ille non satis cognosceret sacramentum, qui in eo sive propria sive aliorum mente (quam suam facit) nihil aliud cerneret, quam merum ritum quendam externum, cuiusmodi fit in theatro: talis haberet intentionem externam, non autem *internam* sufficientem: erraret circa substantiam sacramenti, quippe quod non est merus externus quidam ritus, sed *aliquid plus:* et hoc plus debet aliqua ratione cognosci, ut voluntas possit amplecti obiectum sufficienter determinatum. Haec autem cognitio et determinatio eo ipso habetur, si subiectum id totum vult, quod aut minister habens intentionem internam ei conferre vult, aut quod „christiani“ vel schismatici vel catholici habent et cognoscunt et volunt.

Hinc dicendum est, prorsus indeterminatam et proinde insufficientem esse intentionem contentam in voluntate omnia faciendi, quaecunque Deus sub gravi praecipit tanquam ad salutem necessaria (quae voluntas implicite in omni continetur vera attritione): etenim eiusmodi intentio non versatur circa obiectum quoad substantiam determinatum, sed tota quanta nititur in cognitione divina (nisi aga-

tur de homine, qui ipsius Baptismi naturam et necessitatem novit, vel saltem iam suspicatur, religionem christianam forte esse veram adeoque intentionem suam determinat et refert ad id, quod christiani habent et exercent).

94. 2. Praesupposita determinatione obiecti per cognitionem aut propriam aut aliorum suam factam, subiecti intentio debet esse vera volitio, id est verus actus saltem aequivalenter absolutus. Imprimis *non sufficit* mera aliqua voluntatis *inclinatio* versus obiectum (etsi determinatum); nam in contractibus humanis mera inclinatio nunquam sumitur ut consensus, sed consensus, sine quo pactum non fit, debet verus esse actus; unde idem valet quoad receptionem validam sacramentorum ex parte adulti. — Praeterea autem voluntatis iste actus, quamvis possit esse conditionatus, aequivalenter *debet esse absolutus.* Mere conditionatus, nullo modo absolutus actus ita exprimitur: „Vellem (obiectum determinatum), si hoc illudve esset". Quatenus enim supponitur conditio „si hoc illudve esset" non verificari, vera volitio non adest, sed ad summum aliqua velleitas. Loco „vellem" potius dicendum est „non volo", quod significat: aut actum volendi non pono (neutraliter me habendo) aut positive nolo. Si in exemplo allato Andreas se ita resolvit: „Si pretiosum illud, quod Paulus Petro donavit, esset anulus aureus, eum vellem", nondum sufficienter eum acceptare vult, si supponit, donum *non* esse anulum aureum, sed verum acceptationis actum postea demum ponere debet, quia conditio irrealis, quae hic supponitur, veram acceptationem excludit, ideoque eiusmodi voluntas nihil efficere valet in ordine ontologico ad consensum praestandum in donationis contractum. Sic etiam Iudaeus, qui se ita resolvit: „Si religio christiana vera esset (sed ex firma eius persuasione est falsa), Baptismum suscipere vellem", non habet sufficientem intentionem ad Baptismum valide suscipiendum: deest ipsi vera volitio.

Potest autem intentio esse affecta *conditione reali* ita, ut homo se resolvat ad acceptandam rem determinatam, si hoc illudve est, ut si Andreas in exemplo allato vere dicit:

„Si est anulus aureus, eum volo (non: vellem)“: qui actus agere valet in ordine ontologico et sufficit ad realem acceptationem. Ita quoque ille Iudaeus, qui apud se resolvit: „Si religio christiana est vera, saltem in mortis periculo volo baptizari“: quae intentio sufficit.

95. 3. Intentio sufficit habitualis; actualis et virtualis non requiritur, nisi in illis sacramentis, ubi ipsum subiectum *agere* debet, ut signum sacramentale perfici possit, uti obtinet in Paenitentia, quae sine paenitentis actibus perfici nequit, et in Ordine, ad quem saltem ut conditio valoris probabiliter requiritur tactus instrumentorum per subiectum. In reliquis autem sacramentis subiectum, valorem quod attinet, mere passive se habere potest: si ergo debitam intentionem antea elicuit nec retractavit, nihil obstat valori susceptionis, sed donum valide acceptatur, ut fit in donatione inter vivos. — Differentia tamen exstat quoad *manifestationem acceptationis,* quae in donatione inter vivos omnino ita necessaria est, ut secus contractus sit invalidus. In sacramentis vero intentionis manifestatio non requiri videtur ad valorem acceptationis, sed tantummodo ad hoc, ut minister sciat, utrum licite dare possit sacramenta necne.

Licite enim non potest dare sacramenta nisi aut certo aut (in casu necessitatis) probabiliter noverit subiecti intentionem, ne videlicet temere sacramentum exponat nullitati. Ratio vero interna, cur in sacramentis manifestatio intentionis ad valorem non requiratur, haec esse videtur, quia, secus atque in donatione inter vivos, ipsa doni interni (gratiae) traditio, supposita valida sacramenti confectione, non ab homine, sed a solo Deo fieri debeat et possit.

Iuxta exposita intellegendum est, quod Ecclesia sancit C 752 § 3: „Quodsi [moribundus] Baptismum ne petere quidem queat sed vel antea vel in praesenti statu manifestaverit aliquo probabili modo intentionem illum suscipiendi, baptizandus est sub conditione; si deinde convaluerit et dubium de valore Baptismi collati permaneat, sub conditione rursus conferatur“. Iuxta Ecclesiae mentem hoc canone etiam implicite negatur, Baptismum deficiente quovis signo probabili intentionis conferri posse, etiamsi supponatur moribundum versari in bona fide et esse attritum indeque velle omnia ad salutem necessaria facere

vel recipere: nam talis revera Baptismum non „petit“ aliquo vere probabili modo. Ut hoc in canone, ita etiam alibi Codex saepe positive sanciendo, quid faciendum sit, implicite negative quoque indicat, quid faciendum non sit, ut si mere positive C 780 determinatur materia Confirmationis, C 814 materia Eucharistiae conficiendae, C 870 materia Paenitentiae, C 937 materia Unctionis: quibus in locis res extra omne dubium est posita.

Sufficere intentionem seu voluntatem *„neutralem“*, non solum in infantibus, sed etiam in adultis, ex Innocentii III Ep. „Maiores“ (D 411) deduci nequit; nam in contextu agitur de homine, qui expressam intentionem Baptismi recipiendi habuit et hanc habitam non retractavit, atque de eiusmodi voluntate dicit Innocentius: characterem imprimi ideoque Baptismum valide suscipi, „cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem“.

De differentia inter sacramenti „votum“ et intentionem suscipiendi vide supra n. 64 sqq.

Ex his omnibus sequitur, attritionem tunc solum continere sufficientem intentionem ad Baptismum valide suscipiendum, si eliciatur ab eo, qui Baptismi necessitatem novit et agnovit vel formaliter sibi dixit: „Si est (non: si esset) necessarius, eum suscipere aliquando volo (non: vellem)“.

96. Quod valet de intentione ad validam Baptismi susceptionem requisita, valet etiam de reliquis sacramentis, *excepto* tamen, ut videtur, *Matrimonio*. Quoniam iuxta C 1012 § 2 „inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum“ seu quin expressio consensus eo ipso, quod validus contractus initur, fiat nomine Christi, admittendum est, marem feminamque, qui prima aetate baptizati statim postea in regiones deportati sunt, ubi nil unquam audiunt vel resciunt de Christo vel Ecclesia vel Baptismo sibi collato vel de Matrimonii indole sacramentali, ibique volunt Matrimonium tale, quale vident ab infidelibus iniri, ipsos quoque valide contrahere, valide Matrimonium inire, conficere et suscipere sacramentum Matrimonii, obiective agere nomine Christi. Dicendum ergo videtur cum Vazquez (In 3 S. Thomae, disp. 138, c.

5, n. 63 sq.) ad valide conficiendum et consequenter valide suscipiendum sacramentum Matrimonii non requiri intentionem habitualem illam internam agendi nomine Christi, quia hoc sacramentum revera sine habituali intentione nomine Christi agendi conficitur. Non videtur damnandus, qui dixerit requiri et sufficere intentionem internam *interpretativam*, consistentem nempe in interna sponsorum inclinatione ita exprimenda: „Si sciremus, Matrimonium esse sacramentum, illud (nihilominus, inclinatione saltem praedominante) iniremus".

Hinc est, quod C 1084 edicitur: „Simplex error circa Matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem". Hinc est etiam, quod S. Romana Rota in dignoscendo Matrimonio valido ab invalido nullam habeat rationem intentionis sponsorum circa sacramentum ut sic, sed tantummodo circa contractum. Ita revera edicit S. Rota in causa Hospelt—Bernhardt die 27. Augusti 1910 (Acta Ap. Sed. 2 [1910] 917—934): „Cum in matrimonio contractus sit principale et sacramentum accessorium, omnia ex contractu [ergo non ex sacramento] debent aestimari. In genere contractus, essentia est in mutuo consensu, rite comparti expresso, in formale obiectum essentiale contractus ipsius. Matrimonium autem, ut contractus est coniunctio maris et feminae individuam vitae consuetudinem retinens . . .: qua intellegitur tum huius societatis contractus . . ., tum societas ipsa coita, quae *cum primis* ad sobolem procreandam sit ordinata, ideo nisi inter marem et foeminam iniri non potest; et corporum *cum primis* initur, nam et animorum, et quodam modo omnium rerum . . . societas est perpetua . . . Ex quo sequitur, matrimonialem contractum perfici, cum contrahentes in huiusmodi coniunctione convenerint . . . Qui igitur coram civili magistratu matrimonium contrahunt, nisi aliud intendere manifestent, legi obsequuti in formale obiectum essentiale contractus matrimonialis conveniunt, seu matrimonium ineunt consensu maritali, quod nisi lex tridentina obstet, est matrimonium verum etiam coram Ecclesia (l. c. 928) . . . Constat autem [Hospelt — Bernhardt] contractum matrimonialem inivisse . . . Quare matrimonium, de quo agitur, sacramentum etiam extitit. Inter christicolas enim contractus a sacramento separari non potest, quod indubitati iuris est, et fidei proximum (Pius IX, *Syll. 66, 67, 73*); ideo indubitati iuris est et fidei proximum, contractum sine sacramento, et sacramentum sine contractu constare non posse. Et cum in nostro themate contractus extiterit, sacramentum etiam extitit, quamvis de hoc coniuges ne quidem cogitaverint (l. c. 933)". Dummodo ergo adsit intentio interna matrimonialem contractum ineundi actualis vel

virtualis vel, si fit per procuratorem, habitualis, (quae intentio relate ad sacramentalitatem Matrimonii videtur esse intentio *mere externa*) eo ipso, nisi obstent impedimenta dirimentia, sacramentum Matrimonii celebratur.

Quod autem CTr sess. 7, de sacr. in gen. can. 11 (D 854) definit: „Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia: A. S." intellegendum est iuxta declarationem in ipso concilio a gravissimo Patre Seripandi datam: „Relinquendum doctoribus, ut declarent, quomodo requiritur intentio" (CTr V, ed. Ehses, 963). Quare definitioni Tridentinae contradicere non videtur, qui asserat, ad sacramentum Matrimonii valide conficiendum et suscipiendum requiri et sufficere intentionem internam ineundi contractum naturalem, quae intentio eo ipso est voluntas faciendi id, quod *materialiter* idem est cum eo, quod facit Ecclesia.

97. Nota. Suppositis aliis conditionibus subiecti ad validam sacramentorum susceptionem requisitis (n. 81) per accessum intentionis capacitas bene videtur dici proxima in oppositione ad priora requisita, quae constituunt capacitatem remotam. — Porro in infantibus capacitas remota et proxima coincidunt, et idipsum obtinet in Matrimonio, ad quod adulti possunt esse capaces sine intentione habituali interna per solam illam voluntatis inclinationem, quae est intentio interpretativa.

Articulus IV.

De sacramentorum susceptione fructuosa.

98. Assertum I. *Sacramentum valide et simul fructuose suscipitur a subiecto capaci simul et „disposito" seu habente „dispositionem".*

Explicatio. Fructuose sacramentum suscipi dicitur, quando in subiecto fructum suum nobilissimum, id est gratiam sanctificantem, producit, producit autem, si anima ad

recipiendam gratiam est disposita. Etenim gratia habitualis est forma, cuius communicatio sicut quaelibet alia forma in subiecto praesupponit habilitatem et aptitudinem seu dispositionem ad eandem recipiendam.

Proinde *dispositio* ad sacramenta fructuose recipienda nihil aliud *est* quam *habilitas ad recipiendum ex sacramento illum effectum, qui dicitur „res" sacramenti,* et subiectum dispositum est ille homo, qui habilis est non solummodo ad „rem-sacramentum", sed etiam ad „rem" sacramenti recipiendam.

99. Assertum II. *Subiectum dispositum, si agitur de infante, est idem, quod est capax.*

Explicatio. In infante capacitas et dispositio coincidunt; quilibet infans est capax et dispositus ad valide et fructuose recipienda sacramenta *Baptismi, Confirmationis, Eucharistiae, Ordinis.*

100. Assertum III. *Si agitur de adulto, subiectum illud est dispositum ad fructuosam sacramentorum susceptionem, quod saltem habitualem (seu non retractatam) habet supernaturalem fidem et spem et peccatorum gravium, si quae post Baptismum commisit, retractationem perfectam quoad sacramenta vivorum, saltem imperfectam quoad sacramenta mortuorum.*

Explicatio. Pro illis sacramentis fructuose suscipiendis, quae sunt primario instituta ad infundendam gratiam absentem seu ad dandam gratiam *primam,* quae proinde per se supponunt subiectum supernaturaliter mortuum ideoque sacramenta vocantur mortuorum, peccatorum gravium personalium retractatio sufficit imperfecta illa per

attritionem. Hinc *Baptismus, Paenitentia* et *Unctio* (cum haec quoque secundario sit instituta ad dandam gratiam primam, homini videlicet illi, qui antea gratiae statum per Paenitentiam practice non potest acquirere) fructuose recipiuntur ab attrito.

101. Pro illis autem sacramentis fructuose recipiendis, quae sunt primario instituta ad augendam gratiam iam praesentem seu ad dandam gratiam *secundam,* quae proinde per se supponunt statum gratiae vel subiectum supernaturaliter vivum ideoque sacramenta vocantur vivorum, peccatorum gravium personalium retractatio requiritur perfecta, id est *aut* per contritionem (charitatem) perfectam cum voto Paenitentiae *aut* per attritionem cum reali absolutione sacramentali. Unice pro s. *Communione* recipienda ab Ecclesia (CTr sess. 13, can. 11 [D 893]) praescripta est peccatorum gravium per sacramentum Paenitentiae retractatio, ita ut sola contritio perfecta sufficiat tantummodo pro illo, qui ex altera parte communicare necessario debet et simul ex altera parte ob difficultatem Paenitentiae extrinsecam confiteri non potest.

Pro ceteris autem vivorum sacramentis fructuose recipiendis lege universali Paenitentiae sacramentum praescriptum non est, quamvis haec via recuperandi statum gratiae semper sit res consilii et interdum per leges particulares etiam praecepti.

102. Assertum IV. *Ut sacramenta mortuorum certo agere possunt ad modum sacramentorum vivorum, videlicet subiecti iam iustificati augendo gratiam, ita sacramenta virorum probabiliter agere possunt ad modum sacramentorum mortuorum, videlicet iustificando peccatorem, qui, erronee putans se habere dispositionem ad sacramenta vivorum, non affert nisi dispositionem ad sacramenta mortuorum requisitam.*

103. Assertum V. *Quo melior subiecti est dispositio, eo uberior etiam fructus est sacramenti.*

Explicatio. De lege ordinaria (id est, nisi Deus pro casibus extraordinariis exceptionem statuat) idem sacramentum in omnibus subiectis aeque dispositis eundem producit fructum, in inaequaliter autem dispositis inaequalem etiam gignit fructum, docente Ecclesia (CTr sess. 6, cap. 7 [D 799]) iustitiam, etiam per sacramenta, in nobis recipi „secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem".

Unde *dispositioni substantiali,* quae in infimo, sed sufficienti fidei, spei, peccatorum gravium retractationis gradu consistit, respondet *substantialis fructus,* consistens in infimo gratiae primae vel secundae gradu cum iure ad infimam copiam gratiarum actualium ad finem sacramenti respectivi conducentium. Melior aut summus gradus *dispositionis accidentalis* consistit 1. in intensive et extensive maiore vel summo gradu retractationis peccatorum gravium et levium, 2. in maiore gradu gratiae sanctificantis (in subiecto iusto) et 3. in multitudine et intensitate et duratione actuum (fidei, spei, charitatis, desiderii etc.) immediate ad susceptionem sacramenti tendentium: eiusmodi meliori vel optimae dispositioni seu „cooperationi" (CTr l. c.) respondet etiam uberior vel uberrimus *fructus accidentalis* relate ad augmentum gratiae sanctificantis et remissionis omnis peccati venialis, omnisque poenae et (ut videtur) praecipue relate ad maiorem copiam gratiarum actualium pro fine respectivi sacramenti obtinendo. Quare adultus cum optima dispositione recipiens Baptismum, statim etiam omnium peccatorum venialium quoad culpam et poenam recipit remissionem simul cum iure ad uberem copiam gratiarum actualium ad vitam filii Dei adoptivi et civis in regno Christi ducendam, — idque totum vi sacramenti, non praecise vi suae dispositionis, quae se habet tantummodo per modum medii, quo vas ad recipiendos sacramenti effectus ampliatur, vel per modum maioris fenestrae, qua soli via aperitur latior ad infundendam lucem in spatium illuminandum.

Articulus V.

De sacramentorum susceptione infructuosa.

104. Assertum I. *Susceptio valida quidem, sed infructuosa ea esse videtur, qua ex sacramento „res-sacramentum“ quidem suscipitur, non autem „res“ sacramenti.*

105. Assertum II. *Probabiliter omnia sacramenta valide quidem, sed infructuose suscipi possunt, si subiectum capax quidem est, non autem dispositum.*

Explicatio. Certum Assertum est quoad omnia sacramenta, excepto sacramento Paenitentiae. Ratio vero probabilis asserendi, sacramentum *Paenitentiae* infructuose non esse semper etiam invalide susceptum est haec, quod attritio paenitentis, quatenus est pars materiae ipsius „sacramenti tantum“ seu signi externi visibilis vel saltem est conditio sine qua absolutio est invalida, non necessario easdem debet habere dotes, quas habere debet ut pars dispositionis. Qua dispositio requisita ad hoc, ut gratia animae possit infundi, attritio debet quidem esse 1. vera, 2. formalis, 3. supernaturalis, 4. universalis (quoad peccata gravia), 5. appretiative summa; at qua pars vel conditio sacramenti probabiliter non debet esse sive (4.) universalis sive (5.) appretiative summa, sed sufficit, ut ceteris instructa sit dotibus (1—3). Itaque homo, qui duo commisit peccata gravia, alterum furti, alterum periurii, et peccati furti plene oblitus solummodo periurium ex motivo particulari (v. g. ex turpitudine, qua se ipse affecit laedendo Deum, quatenus tantopere insistit in sanctificatione sui nominis) cum dolore detestatur, habet attritionem 1. veram, 2. formalem, 3. supernaturalem et forte etiam 5. appretiative summam, non autem 4. universalem (quia ne implicite quidem, id est vi motivi, sese extendit ad peccatum furti). Mirum esset, si inde sacramentum esset invalidum quoad suam confectionem

et consequenter quoad susceptionem. Similiter summitas appretiationis malitiae peccatorum non videtur pertinere ad rationem signi sacramentalis seu „sacramenti tantum"; nam ad signum sensibile id solum pertinere videtur, quod de natura sua est natum externe apparere seu visibile fieri. Atqui veritas quidem doloris sponte sua externe manifestatur, non autem eius summitas, ergo haec de natura sua non est nata, quae sit externe perceptibilis, unde neque ad signum externum constituendum requiri posse videtur. Proinde attritio reliquis dotata qualitatibus, deficiente autem summitate appretiationis, sufficere videtur ad „sacramentum" perficiendum, quamvis certo non sufficiat qua dispositio ad recipiendam gratiam seu „rem" sacramenti. Unde certe probabilis dicenda est sententia Suarezii (disp. 20, sect. 5, n. 7), Lugo (disp. 14, sect. 6 sq.) et aliorum circa universalitatem et Caietani (De confessione q. 5) et Billot (De sacr. II, th. 16) et aliorum circa summitatem appretiationis attritionis.

106. Nota. Sacramenta valide quidem, sed infructuose suscepta saepe vocantur *„sacramenta informia"*, quia carent aliquo effectu, qui sacramentis per se efficiendus est et quodammodo ipsis sacramentis ultimam confert formam. Fatendum tamen esse videtur, terminum „sacramentum informe" non esse aptissimum, cum perperam indicare videatur, ipsum sacramentum in se seu in suis constitutivis esse mancum, quoniam vox „formae" generatim hoc sensu usurpari solet.

107. Assertum III. *Sacramenti susceptio valida, sed infructuosa est aut sacrilega, si videlicet subiectum indispositionis suae seu „obicis" conscium est, aut neutralis, in subiecto suae indispositionis seu „obicis" inconscio.*

Explicatio. Defectus necessariae dispositionis infusioni gratiae tanquam impedimentum obicitur ideoque vocatur *„obex"*; quodsi subiectum obicis sui conscium est, obex

vocatur *formalis,* et indigna susceptio sacramenti est peccatum formale sacrilegii (seu indignae tractationis rei sacrae); si vero obicis sui subiectum non est conscium, sed „bona fide" (id est putans, se habere necessariam dispositionem) sacramentum suscipit, obex vocatur *materialis* et sacrilegium non est nisi materiale. — Sacramentum *Paenitentiae* cum obice formali susceptum semper est invalidum, quippe cui deest vera attritio ideoque pars indispensabilis materiae aut conditionis sine qua non.

108. Assertum IV. *Probabiliter omnia sacramenta valide, sed (propter obicem sive materialem sive formalem) infructuose recepta „reviviscere" possunt.*

Explicatio. „Reviviscere" aliquod sacramentum dicitur, si „rem", quam in subiecto ob eius indispositionem producere in ipsa susceptione non potuit, postea nihilominus producit. Sacramenta *characterem imprimentia* reviviscere posse, certum est; reviviscere posse *Matrimonium* et *Unctionem,* est moraliter certum; *Paenitentiam* et *SS. Eucharistiam* posse reviviscere, probabile est.

Difficultates circa *SS. Eucharistiam* et *Paenitentiam* inde oriuntur, quod modus, quo reviviscere possint, non semper intellegitur. De qua re statim.

Ceterum S. Thomas reviviscentiam aliquam SS. Eucharistiae docet his verbis (3, q. 79, a. 3): „Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati dupliciter: uno modo non perceptum actu, sed voto; sicut cum quis prius iustificatur a peccato; alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam et affectum non habet, forte enim *primo* non fuit sufficienter contritus; sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati." Quo in casu ea cum aliorum sacra-

mentorum reviviscentia habetur similitudo, quod gratia, quae per se in ipsa sacramenti susceptione conferri debuit, postea conferatur; etenim Eucharistia per se confert in ipsa manducatione s. Hostiae gratiam (secundam): quam si ob subiecti indispositionem tunc non producit, producit vero postea, recte videtur dici reviviscere, quamvis ipsum sacramentum „in esse", id est s. Species, esse nondum cessaverit.

109. Assertum V. *Sacramentorum reviviscentia inde habetur, quod omne sacramentum valide collatum et valide quamvis infructuose susceptum, in subiecto producit „rem-sacramentum", quod sua ex parte, etiamsi „sacramentum tantum" iam praeterierit, inducere valeat in subiectum „rem".*

Explicatio. In tribus sacramentis *Baptismi, Confirmationis, Ordinis* subiecto capaci imprimitur character indelebilis, quocum, quoniam haec sacramenta certe reviviscunt, coniunctum est ius ad „rem" aliquando recipiendam. Item moraliter certum est *Uctione,* cum ipsa quoque reviviscere possit, conferri eiusmodi ius, itemque *Matrimonio.* Ergo simile quid valere debet de *Eucharistia* seu Communione et *Paenitentia.* Et revera non apparet, cur homo, apud quem Christus qua hospes (i. e. per intentionem ab homine baptizato invitatus) divertit, eo ipso non recipiat ius (quamvis in subiecto indisposito ligatum) recipiendi ab hospite eam „rem", ad quam dandam hospes venit. Paenitentia vero ut iudicium ex natura sua dare seu facere debet ius (non contritionem vel aliud quid). Iamvero ius divinitus ad aliquam rem datum, necessario, debitis sub conditionibus, transire debet in rem, ad quam est ius. Ergo idem valet de iure, quod in sacramentorum collatione et susceptione valida subiecto confertur, seu subiecto, cui est „res-sacramentum", debitis sub conditionibus ipsa quoque „res" conferetur.

110. Assertum VI. *Ut aliquod sacramentum valide collatum et susceptum de facto reviviscat, necessaria est remotio „obicis" seu acquisitio debitae dispositionis (diversae pro diversis sacramentis).*

Explicatio. Defectum debitae dispositionis, qui infusioni „rei" seu gratiae sanctificantis obicitur, seu obicem removendum esse, ut „res" possit recipi, ex natura rerum satis patet.

In genere illa est procuranda ad reviviscentiam dispositio, quae ad ipsam fructuosam sacramenti susceptionem adesse debuit, ergo fides, spes, attritio pro sacramentis mortuorum *(Baptismi, Paenitentiae,* et in homine sui inconscio *Unctionis)*, fides, spes, contritio vel attritio cum absolutione pro sacramentis vivorum *(Confirmationis, SS. Eucharistiae, Ordinis, Matrimonii* et in homine sui conscio *Unctionis).*

Attamen, si grave peccatum commissum est *aut* in ipsa sacramenti susceptione *aut* postea, cum tale peccatum tolli nequeat vi sacramenti antea suscepti, ipsum hoc peccatum grave tollendum est via ordinaria (id est aut contritione aut Paenitentia), ut sacramentum reviviscere valeat.

Notari vero meretur, sacramenta vivorum probabiliter reviviscere posse, si post eorum susceptionem, dummodo susceptio non fuerit sacrilega nec postea commissum sit novum peccatum grave, eliciatur attritio, quoniam (v. n. 102) probabile est, sacramenta vivorum posse gratiam dare primam, si ab homine suscipiantur, qui bona fide putat sese esse dispositum, quamvis fuerit mere attritus. Unde sequi videtur, neque ad reviviscentiam meliorem dispositionem requiri.

111. Assertum VII. *Quodlibet sacramentum post sui susceptionem nonnisi durante „re-sacramento" et semel tantum reviviscere potest.*

Explicatio. 1. Reviviscentiam *nonnisi perdurante „re-sacramento“* fieri posse, inde sequitur, quod „res-sacramentum“ tota est ratio pro reviviscentia. Cessante „re-sacramento“ cessat ius ad „rem“, ergo etiam possibilitas reviviscentiae. Hinc *Baptismus, Confirmatio, Ordo* durante tota vita subiecti reviviscere possunt, cum character et ius cum ipso coniunctum sit indelebile. Item *Paenitentia* tribuit ius quoad tempus illimitatum, dum e contra „res-sacramentum“ in *Unctione* durat solummodo per tempus gravis morbi vel senii, in *Matrimonio* tantum durante vinculo, quod dissolvi potest in casu Matrimonii rati tantum per Ecclesiam, in casu Matrimonii consummati per mortem compartis. In *Communione* vero „res-sacramentum“ brevi tantum temporis spatio habetur, scl. tamdiu, quamdiu in communicante perdurant s. Species; Speciebus autem dissolutis, cessat etiam „res-sacramentum“ seu Christi hospitalis praesentia.

112. 2. *Semel* autem tantum quodlibet sacramentum post quamlibet sui receptionem reviviscere posse inde est, quod reviviscentia supplet fructuosam ipsius sacramenti susceptionem; fructuosa autem susceptio semel tantum producit „rem“ sacramenti. Hoc tamen non impedit, quominus unum idemque sacramentum v. g. successive decies infructuose susceptum et ad reviviscentiam non suscitatum unico actu, quo debita procuratur dispositio, ita reviviscat, ut in illo momento subiecto tribuatur „res“ tanta, quanta debetur decem susceptionibus: id quod probabiliter fieri potest quoad *Paenitentiam,* difficilius quoad *Unctionem* et raro in *Communione,* cum plurium Specierum sumptio (v. g. panis et vini ex parte celebrantis) rationem habeat unius convivii, non autem iteratae Communionis. — Attamen vix non negandum videtur in plurium *Confessionum* per modum unius reviviscentia non solum gratiam sanctificantem, sed etiam ius ad gratias actuales reddi cumulatum respondens decem susceptionibus.

113. Nota. Cum sacramentorum reviviscentia non est confundenda *reviviscentia meritorum et gratiae,* omnium videlicet gratiae graduum, qui non tantum per sacramenta, sed

per merita quoque sunt acquisiti. Etenim omnes isti gradus peccato gravi amissi semper homini iterum donantur, quando sive per contritionem sive per aliquod sacramentum remissionem accipit peccati gravis (Pius XI, Bulla „Infinita Dei misericordia", 29. Maii 1924 [D 2193]). Haec meritorum et gratiae reviviscentia saepe quidem concomitanter cum alicuius sacramenti fructuosa habetur susceptione, attamen non est „res" eiusdem sacramenti, sed huius sacramenti susceptio (seu contritio) quoad gratiam per peccatum amissam seu quoad merita mortificata solummodo partem agit removentis obicem, quo per peccati remissionem remoto merita iterum vivificantur seu reviviscunt.

Articulus VI.

De sacramentorum susceptione legitima.

114. Assertum. *Illegitime, quamvis sint capaces et dispositi, illi baptizati suscipere videntur sacramenta, qui plane vel non plene participant in catholicorum iuribus.*

Explicatio. 1. *Non plene* in catholicorum iuribus participant illi catholici, qui *censuris* excomunicationis aut interdicti personalis sunt irretiti; de utrisque lex statuit ecclesiastica (C 2260 § 1 et 2275, 2), quod sacramenta suscipere non possunt. Excommunicatus exclusus est a communione fidelium (C 2257 § 1), personaliter interdictus, quamvis in communione maneat Ecclesiae, in usu iurium est restrictus (C 2268 § 1), et tractandus fere ut excommunicatus. Quare tam excommunicatus quam personaliter interdictus, antequam a censura absolutus est, illegitime suscipit quodlibet sacramentum, etiam absolutionem sacramentalem a peccatis, quamvis sit plene capax et forte optime dispositus. Et haec est ratio, cur etiam in sacramento Paenitentiae absolutioni a peccatis seu absolutioni sacramentali semper praemittenda est absolutio a censuris.

115. 2. *Plane* a catholicorum iuribus exclusi sunt baptizati apostatae a fide, haeretici, schismatici, nam „iura quod attinet, obstat obex ecclesiasticae communionis vinculum impediens“ (C 87), licet officia quod attinet Baptismate constituti sint in Ecclesia Christi personae cum omnibus christianorum obligationibus (ib.). Concedi nunc solet id, quod Ecclesiae Patribus vix videbatur esse possibile, saltem haereticos et schismaticos posse esse „bona fide“ ideoque praeter capacitatem dispositionem quoque possidere. Nihilominus „vetitum est sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint“ (C 731 § 2). Quae lex prohibens est non solum iuris ecclesiastici, sed etiam divini[1]).

116. Quoad moribundos Ecclesia eandem legem hac ratione est interpretata. Die 17. Maii 1916 ad varios locorum Ordinarios huius tenoris dedit S. Officium documentum:

„1) An schismaticis materialibus in mortis articulo constitutis, bona fide sive absolutionem sive Extremam Unctionem petentibus, ea sacramenta conferri possint sine abiuratione errorum?

Resp.: Negative, sed requiri, ut meliori quo fieri possit modo, errores reiciant et professionem fidei faciant.

2) An schismaticis in mortis articulo sensibus destitutis absolutio et Extrema Unctio conferri possit?

Resp.: Sub conditione affirmative, praesertim si ex adiunctis conicere liceat, eos implicite saltem errores suos reicere, remoto tamen efficaciter scandalo, manifestando scilicet adstantibus, Ecclesiam supponere, eos in ultimo momento ad unitatem rediisse“.

Illud „affirmative“ in Resp. 2. inde explicatur, quod de capacitate proxima, id est de voluntate sacramenta de manu ministri *catholici* suscipiendi parum constat, si antea hanc voluntatem non manifestaverunt.

---

[1]) Cfr. Umberg, Quo iure haereticis et schismaticis sacramenta sint neganda (Periodica de re morali, canonica, liturgica 18 [1929] 97*—122*).

Ad mentem Ecclesiae dicendum videtur, eos, qui antequam sensibus destituerentur, sacramenta a catholico ministro petierant, sed fidei professionem ex quacunque ratione nec fecerant nec recusaverant, postea, sensibus destitutos iisdem sacramentis muniri posse, idque absolute, cum de eorum capacitate dubium prudens concipi non possit.

Relate ad haereticos, qui fidem in sacramenta omnia non habent, difficultas est maior, quoniam de eorum intentione eadem suscipiendi merito dubitari potest vel debet, nisi ea expresse petierint.

Articulus VII.

De sacramentorum susceptione licita.

Sacramentorum susceptio valida et fructuosa et legitima non est necessario etiam licita. Sane quidem, qui sacramentum suscipit cum conscientia gravis illiceitatis, eo ipso dispositione privatur necessaria. At, cum fieri possit, ut illiceitas aut non sit cognita aut levis tantum, dispositio substantialis consistere potest simul cum illiceitate.

117. Assertum. *Sacramentorum susceptio ex parte subiecti capacis, dispositi, legitimi tunc tantum est licita, si susceptione non laeduntur leges circa 1. debitum ministrum, 2. debitum tempus, 3. debitum locum, 4. debitum habitum corporis.*

Explicatio. 1) Illicite sacramenta suscipiuntur de manu ministri, qui a) aliqua *censura* ecclesiastica ab administratione exclusus est. Censurae ab administratione sacramentorum excludentes sunt excommunicatio (C 2261 § 3), interdictum personale (C 2275, n. 2), suspensio ab officio, a divinis, a sacris ordinibus etc. (C 2279). Attamen, quo securius saluti fidelium provideatur, Ecclesia haec statuit (C 2261 § 2): „Fideles, salvo praescripto § 3, possunt ex qualibet iusta causa ab excommunicato [et personaliter in-

terdicto et suspenso, iuxta C 2275, n. 2; C 2284] sacramenta et sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint . . . — § 3. Sed ab excommunicatis vitandis necnon ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem . . ., tum etiam, si alii desint ministri, cetera sacramenta et sacramentalia". Quod dicitur hac § 3, valet etiam de ministris *haereticis* et *schismaticis* (dummodo absit periculum perversionis seu seductionis ad haeresim vel schisma) quod attinet sacramenta maxime necessaria Baptismi et Paenitentiae resp. Unctionis, non vero de ceteris sacramentis. Imminente perversionis periculo melius est solo sacramenti voto contentum esse et mori.

b) Praeterea minister non est debitus, si versatur in *statu peccati mortalis:* durante hoc misero statu sacrilege sacramenta conficit. Qui ergo ex talis ministri manu sacramentum suscipit, cooperatur ad eius sacrilegium. Attamen cum minister, antequam sacramentum conficiat, per contritionem perfectam (cum voto sacramenti) sese restituere possit in statum gratiae, homo ab eo sacramentum petens, non necessario petit, ut sacramentum in statu peccati conficiat, ergo nihil in se mali petit. Si praevidetur, ministrum ante sacramentum contritionem non esse eliciturum, id suo vertendum est vitio. Quare fidelis alioquin legitimus, ex rationabili causa, si quam habet, etiam ab eiusmodi ministro licite petit et suscipit sacramenta, maxime, si sacerdos qua petentis pastor ex iustitia ad ea danda est obligatus, vel si ab aliis petitus iam actu sacramenta administrat.

c) Illicite quoque sacramenta petuntur a ministro, quamvis iusto, si sacramenti administratio *alii* est *reservata,* ut v. c. parocho (C 462 738 § 1 848 § 1 850), vel superiori religioso (C 514 § 1), vel confessario monialium (C 514 § 2).

118. 2) Tempore indebito illicita est sacramentorum susceptio. Ab Ecclesia tempus pro variis sacramentis (extra necessitatis casus) est determinatum; ita pro *Baptismo* (C 770—772), *Confirmatione* (C 790), *S. Communione* (C 867), *Ordine* (C 1006—1007).

3) Etiam loci circumstantia ab Ecclesia determinata ad licitam sacramentorum susceptionem servanda est. Leges extant circa locum censura interdicti affectum (C 2270—2271), — circa *Baptismum* (C 771 773—776), *Confirmationem* (C 791), *S. Communionem* (C 868—869), *Paenitentiam* (C 908—910), *Ordinem* (C 1008—1009), *Matrimonium* (C 1109).

4) Debitus corporis habitus servandus est quoad vestimentorum honestatem ex lege naturali, quoad ieiunium naturale circa *Baptismum* ab adulto suscipiendum (C 753 § 1) et maxime circa *S. Communionem* (C 858).

Caput IV.

De sacramentorum confectione et collatione.

119. Nullum praeter SS. Eucharistiae sacramentum confici potest nisi simul alicui conferatur, i. e. applicetur, quia ipsa haec applicatio materiae remotae est materia proxima simulque cum forma constituit ipsum sacramentum. In Eucharistia vero confectio consistit in panis vinique consecratione, a qua tempore separatur applicatio seu collatio in S. Communione: quae separata applicatio non est de ratione sacramenti „in esse", sed solummodo „in suscipi". In sequentibus ergo, si sermo est de confectione sacramentorum, intellegitur SS. Eucharistiae sola confectio, ceterorum autem sacramentorum confectio et collatio (applicatio, seu administratio).

Ordo rerum: Sacramenti confectio etsi *valida* non est necessario *legitima*, — et, si legitima, non necessario *licita*, — et, si licita, non necessario *obligatoria*.

120. *Conspectus confectionis (collationis) sacramentorum:* vide p. 89.

Articulus I.

De sacramentorum confectione valida.

121. Assertum I. *Sacramenta nonnisi ab homine eoque viatore valide conficiuntur.*

Explicatio. Posse Deum absolute angelo committere sacramenti confectionem, non est in dubium vocandum; Deum hoc unquam fecisse, non constat. Administrationem tamen *S. Communionis* (ab sacerdote confectae Hostiae) in-

120. *Conspectus confectionis (collationis) sacramentorum.*


Confectio
valida
minister
homo
viator
cum potestate debita
distinctus a subiecto (exc. E)
agens cum debita intentione:
„externa“ actuali vel virtuali, ut actio sit humana —
„interna“ saltem habituali implicita, ut actio sit Christi
ponens materias et formas et conditiones valoris ab Ecclesia adiectas
debitas, substantialiter integras, debite unitas, ab uno ministro positas
legitima
minister legitimus
licita
minister sanctus, servans materias etc. omnino integras, caeremonias praescriptas, vestes praescriptas, locum et tempus debitum, subiectum capax (in dubio conditionata intentio), dispositum (semper absolute) et legitimum
obligatoria
ex iustitia
ex caritate
etiam quoad iterationem

terdum angelis concessam fuisse, in vitis Sanctorum legitur. Nullum existit vestigium, Deum homini defuncto sacramenti confectionem commisisse.

122. Assertum II. *Non possunt omnes homines viatores omnia conficere sacramenta* (Dogma ex CTr sess. 7, de sacr. in gen. can. 10 [D 853]).

Explicatio. *Baptismum* quilibet homo potest valide conficere (Dogma ex CTr ib. de Bapt. can. 4 [D 860]; C 742 § 1), *Confirmationem* ut minister ordinarius solus Episcopus (Dogma ex CTr ib. de Conf. can. 3 [D 873]), ut minister extraordinarius, cum facultate S. Sedis, presbyter (C 782), *SS. Eucharistiam* solus sacerdos (Dogma ex Prof. fidei Waldensibus praescripta [D 424]; C 802), *Paenitentiam* solus sacerdos (Dogma ex CTr sess. 14, de Paenit. can. 10 [D 920]) instructus potestate iurisdictionis (C 872), *Unctionem* solus sacerdos (Dogma ex CTr ib. de Extr. Unctione can. 4 [D 929]), *Ordinem* solus Episcopus (CTr sess. 23 can. 7 [D 967]), *Matrimonium* ipsi contrahentes (C 1012 § 1).

123. Assertum III. *Nemo potest valide conficere sacramentum sibi ipsi illud applicando* (Innocentius III [D 413] quoad Baptismum; quoad cetera sacramenta communis).

Explicatio. *S. Eucharistiam* ipse minister consecrator sibi in S. Communione praebere potest et debet, attamen id non est ipsa sacramenti confectio, sed sacramenti confecti administratio.

124. Assertum IV. *Minister debitus, id est debita instructus potestate, nullum sacramentum conficit valide, nisi utatur valida materia et forma (cum conditione valoris ab Ecclesia forte adiecta).*

Explicatio. Certum quidem est, sacramenta valide confici, si perficiantur secundum leges ab Ecclesia praescriptas, quamvis non semper sciamus, quaenam elementa ab ea praescripta ad validam confectionem sint (sive tanquam substantiam sive tanquam conditiones valoris) necessaria.

Probabilismus hic locum non habet, quoniam non agitur de solo licito vel illicito, sed de effectibus certo obtinendis (Innocentius XI [D 1151]). Quare extra casum urgentis necessitatis non licet, tutiore sententia relicta, sequi opinionem probabilem de sufficientia alicuius materiae, formae, conditionis. In casu vero necessitatis urgentis ipsa haec necessitas excusat ac licitum reddit usum materiae, formae, conditionis dubie validae, salva tamen obligatione 1. probabiliora adhibendi prae minus probabilibus et 2. postea, si haberi potest materia etc. minus dubia vel certa, hanc adhibendi (sub conditione), donec certitudo validae confectionis relativa habeatur.

125. *Dubie valida* et proinde extra casum urgentis necessitatis *sub gravi* prohibita est confectio sacramenti,

a) si materia vel forma (vel conditio valoris) adhibetur non „eadem", quae a Christo est determinata vel ab Ecclesia ad valorem requisita, „eadem" intellegendo iuxta supra n. 44 dicta;

b) si materia et forma non ita inter se iunguntur, ut altera per alteram in ratione signi determinetur. Haec determinatio non postulat 1. simultaneitatem temporis in *Paenitentia* et *Matrimonio,* quippe quae sequuntur naturam processus iudicialis vel contractus, — 2. non postulat simultaneitatem physicam in *Ordine,* ubi forma (praefatio consecrativa) in Presbyteratu et Episcopatu cum materia (manus impositione) iungitur per interiectam Orationem (in „Presbyteratu etiam per Invitationem ad orandum) „Exaudi" resp. „Propitiare", — 3. postulat autem simultaneitatem fere physicam in *Baptismo, Confirmatione, Unctione,* quatenus materia et forma saltem immediate sese excipere debent, ut omne prudens dubium sit exclusum;

c) si materia et forma et conditio valoris non ponuntur ab eodem ministro, sed ab alio forma, ab alio materia ut talis; „ut talem" materiam non ponit e. g. in Baptismo ille, qui effundendo aquam non plus facit nec facere vult, quam partes agere stillicidii. Ceterum in *Paenitentia* et *Matrimonio* minister materiam in suo esse physico ab alio positam nonnisi elevare debet ad esse sacramentale; quod eo ipso fit, quod recte materiae ab alio positae apponit formam. Idemque valet de traditione instrumentorum in *Ordine.*

126. Assertum V. *Minister debitus materiam formamque debitam (et conditionem valoris debitam) valide non ponit, nisi agat humano modo* (Dogma ex CTr sess. 7, de sacr. in gen. can. 11 [D 854]).

Explicatio. *„Humano modo"* ille agit, qui agit ex libera voluntate praelucente intellectu, sive agat externe et interne iocose (ut in theatro), sive interne serio et externe tantum iocose (ut in nosocomio celans Baptismum), sive externe serio, interne autem iocose (ut fingens Baptismum ad decipiendum), sive interne et externe serio. Ita v. g. ille agit humano modo, qui in theatro mimice perficit Baptismum iuxta modum externum ab Ecclesia praescriptum; huiusmodi mimus agit ex intentione faciendi, *quod* externe facit Ecclesia (quamvis non intendit id, quod intendit Ecclesia, seu non facit id, quod *et quatenus* facit Ecclesia, nec facit quod Ecclesia intendit).

Ut actio aliqua sit vere humana, procedere debet ex intentione *sive actuali sive saltem virtuali.*

1. Intentio est et hic consideratur ut actus voluntatis, quo homo praelucente intellectu libere vult aliquid agere. Intentio *ut actus* est aut actualis, aut virtualis, aut habitualis, aut interpretativa.

Cum hic agatur de *actione externa* (de positione debitae materiae, formae, conditionis), ipsa haec actio ab interno actu voluntatis, qui dicitur intentio, debet esse *imperata.*

127. 2. Itaque *ut actus* intentio est *actualis,* si voluntatis actus internus externam actionem imperans 1. actu et cum advertentia adest et 2. influit in actionis externae positionem, ut si minister sciens et volens infundit aquam et pronuntiat formam Baptismi advertens, quid faciat, sive advertentia habetur novo mentis actu (signate, reflexe), sive sine eiusmodi distincta cognitione (exercite, directe).

Intentio est *virtualis,* quando imperium voluntatis cum advertentia emissum fuit, nunc tamen, quamquam advertentiam fugit, adhuc adest et in positionem actionis externae influit, ut si minister cum advertentia (saltem in actu exercito vel directe) celebrare vult, ideo accedit ad ecclesiam et reliqua omnia praestat non amplius advertens ad imperium voluntatis antea factum: agit etiam in consecratione vere *in virtute* illius imperii.

Intentio est *habitualis,* si antea quidem adfuit, at nunc non ita virtutem suam in actionis positionem influit, ut haec actio dici possit vere humana, sed si actio ponitur mere ex habitu contracto, mechanice et automatice, ut si mulier per virum suum a catholico prolis Baptismo impedita, ex intentione in vigilia facta curandi, ut proles nihilominus baptizetur, in somno et somnio surgit et actionem externam baptizandi in prole exercet.

Intentio demum *interpretativa* ea dicitur, quae ut actus nunquam adfuit, neque nunc adest, et consequenter in positionem alicuius actus humani influere nequit, quae tamen adesset ob hominis inclinationem, si adverteret ad circumstantias, ut si homo, ceteroquin volens Dei implere praecepta, nescit Baptismum esse de Dei praecepto, interpretative vult infantem moribundum baptizare; de facto autem non baptizat, quia eius intentio, utpote interpretativa, in ordine physico nihil agit, sed tota quanta est irrealiter conditionata: si sciret (sed nescit), vellet agere et actionem sibi imperaret (sed agere non vult). Huiusmodi tamen intentio influere valet in indolem moralem actionis ex alia intentione positae: sic humano modo largiens eleemosynam alicui, non misericordiae, sed iustitiae ponit actum, si eidem

alteri rem datam debet ex iustitia: intentio enim eius interpretativa (et propterea praesumpta et praevalens) est, potius obligationem iustitiae implendi quam exercendi meram misericordiam.

128. 3. Quoad *obiectum,* quod in humana materiae, formae, conditionis valoris positione intendi debet, non potest esse aliud, quam *explicite cognita* materia, forma, conditio. Nam nisi minister has explicite cognosceret et vellet, eas facultatibus executivis imperare non posset, nec facultates materias, formas, conditiones revera externe efficere valerent. Implicite tantum cognitae et implicite tantum volitae materiae, formae, conditiones in ordine ontologico humano modo poni non possunt, sed eae tanquam ideae exemplares antea in mente explicite exsistere debent.

Ergo sacramenta non sunt actiones Christi vicariae, nisi sint simul actiones perfecte humanae ministri; et merae actiones hominis, quales fieri possunt a somnambulo, ab amente, a plene ebrio, ab hypnotizato (vi solius suggestionis hypnoticae) non sunt actiones Christi vicariae, et proinde nec sacramenta. Et hoc valet de omnibus omnino sacramentis, nullo, ne Matrimonio quidem, excepto.

129. Nota. Actio vere humana haberi potest, etsi ponatur ab homine in ipso actu *distracto,* id est non advertente, quid faciat: eiusmodi enim minister potest certissime habere intentionem, non quidem actualem (ad quam advertentia requiritur), sed tamen virtualem: et haec sufficit ad actionem vere humanam et proinde vere sacramentalem.

130. Assertum VI. *Humana materiae formaeque positio tunc tantum est sacramentum validum, si fit cum intentione saltem implicita et praevalente agendi nomine Christi; in Matrimonio autem sufficere videtur intentio interpretativa.*

Explicatio. 1. Sacramentum est actio vicaria Christi. A priori loquendo posset quidem quaelibet humana mate-

riae formaeque positio a Christo esse instituta ut ipsius actio vicaria, in iis saltem casibus, in quibus minister externe non manifestat contrariam intentionem agendi nomine proprio, non nomine Christi. Et revera in negotiis mere humanis v. g. illae actiones, quas ponit legatus regius, dummodo externe tanquam legatum se gerat, valent ut actiones regis vicariae, etiamsi legatus interne dicat: „Nolo nomine regis, sed proprio, agere". Atvero in sacramentis rem aliter sese habere, scimus ex revelatione; reiecit enim Alexander VIII (D 1318) hanc doctoris Lovaniensis Farvacques sententiam: „Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo, quod facit Ecclesia". Sed insuper ex doctrina nunc fere communi sacramenta sunt invalida non solum, si minister interne *positive nolit* intendere, quod facit Ecclesia, sed tunc etiam, si externe quidem serio, interne autem *„neutraliter"* agat, seu si *non positive velit* intendere, quod facit Ecclesia, seu si *nolit plus facere quam vere et mere humano modo ponere ritum sacramenti.* Aliis verbis: non sufficit intentio *„externa"*, quae scl. versatur tantummodo circa ritum externum recte ponendum, uti fit in theatro vel exercitio liturgico, sed omnino requiritur intentio *„interna"*, quae versatur circa *plus, quam circa ritum mere externum,* quae nempe versatur circa ritum externum ita, ut eum ponendo velit *positive id, quod intendit* Ecclesia.

Ecclesia autem intendit *aut* positione ritus sacramenti obtinere effectus supernaturales, ad quos producendos ritus externus a Christo institutus est, — *aut* ponere ipsum ritum non quocunque humano modo, sed nomine Christi.

131. Iamvero praecise hoc „agere velle nomine Christi" videtur esse id, quod semper et ultimatim saltem implicite intendi debet: nam (per se) nemo agit nomine alterius, nisi id positive velit; secus (per se) semper agit nomine proprio. Ergo idem valet de sacramentis, quippe quae sunt vicariae Christi actiones.

2. „Agere nomine Christi" intendi potest aut explicite, aut implicite. *Explicite* ille vult agere nomine Christi, qui ipsam hanc ideam „agere nomine Christi" in mente habet et ritum sacramenti ut actionem Christi ponere vult.

Implicite ille vult agere nomine Christi, qui explicite vult 1. *aut* effectum ipsius ritus supernaturalem (ergo v. g. in Baptismo non meram corporis ablutionem vel madefactionem vel circumstantium deceptionem), *aut* 2. id, quod volunt alii, qui a) vel effectum volunt vel b) ritum qua christianis sacrum vel c) verum „sacramentum": in omnibus hisce casibus ritus positio implicite intenditur ut actio Christi, quatenus 1. intendens effectum, eum vult per ritum externum, ritus autem externus mere ut talis effectum intentum producere nequit, sed tantummodo qua actio Christi, — quatenus ille, cuius intentionem facit suam (identitate psychologica: vide n. 92sq.) minister, 2. a) effectum volendo vult ipse quoque effectum per ritum qua actionem Christi, vel b) quatenus volens ritum qua christianis sacrum intendit id, quod volunt christiani per eum habere vel efficere, vel c) quatenus ille, qui vult „sacramentum", eo ipso vult id, quod sacramentum est: actio Christi vicaria.

Breviter dici potest: ille vult *implicite* ritum externum ponere *nomine Christi,* qui explicite *aut* effectum vult sacramenti supernaturalem *aut* alterius intentionem volentis effectum aut directe ipsum sacramentum facit suam. Hanc implicitam intentionem „internam" contineri explicita intentione faciendi, quod intendit Ecclesia, patet.

131. 3. Debetne haec intentio interna esse actualis, vel virtualis, ut ipsa positio ritus externi? De facto intentio videtur semper esse *actualis* aut *virtualis,* dummodo agens agat humano modo neque contrariam intentionem positive eliciat. Nam sacramentum aut ab ministro petitur, et tunc minister ponendo ritum externum ideo agit, quia petentis intentionem facit suam, — aut minister sua ex parte, non petitus ab alio, vult succurrere homini, qui in necessitate positus est, et tunc minister vult sacramenti effectus, quia nonnisi per ritus externi effectus succurrere valet proximo.

De iure autem dicendum videtur, sufficere intentionem internam *habitualem,* virtualem vel actualem vero non requiri, adeo ut neosacerdos semel pro semper dicere possit: „Quotiescunque ritum sacramenti ponens contrarium expresse non intendero, toties eum non meo, sed Christi nomine ponam", et sic postea semper habeat sufficientem intentionem internam. Ratio videtur esse haec: intentio actualis vel virtualis ad hoc requiritur, ut actio externa *qua actio* fiat; ad aliquam autem indolem moralem actioni dandam sufficit intentio habitualis, immo interdum interpretativa (vide n. 127). Iamvero haec circumstantia actionis, quod sit non ministri actio propria, sed Christi, est indoles quaedam moralis seu iuridica.

133. 4. In Matrimonio non videtur requiri quoad sacramentum intentio diversa ab intentione ineundi contractum, nisi dicere velis requiri et sufficere intentionem internam *interpretativam,* ut supra (n. 96) expositum est. Quae ergo mulier baptizata Matrimonium contrahit, putans ex ignorantia, illud non esse sacramentum nec quidquam supernaturale, volendo contractum coniugalem inire, eo ipso interpretativam habet intentionem signum consensus qua actionem Christi ponendi, — dum e contra, si infantulum suum nondum baptizatum balneo lavat pie dicendo: „Lavo te in nomine Patris et F. et Sp. S." ritum externum sacramenti recte ponit intentione externa actuali vel virtuali, sed sacramentum non conficit, cum ritum non ponat cum intentione interna.

134. Assertum VII. *Intentio externa nonnisi absoluta, interna vero tum absoluta tum conditionata esse potest.*

Explicatio. Minister externum ponens ritum sacramenti agere potest aut nomine proprio aut nomine Christi, et cum accidere possit, ut nesciat, quid melius sit, potest sibi dicere: „Si hoc vel illud obtinet, volo agere nomine Christi,

secus nomine meo": quo in casu habet intentionem internam conditionatam seu hypotheticam, cuius mentionem iam apud Timotheum, patriarcham Antiochenum, c. ann. 382 invenimus (Pitra, Juris eccl. Graec. hist. I 638). Hoc esse possibile in dubium vocari nequit. Si ergo prae se habet infantem moribundum, quem nescit, utrum adhuc vivat an iam obierit, et si tunc, ne frustra agat nomine Christi (nullum quippe effectum producendo ex actione Christi irreverenter ageret in Christum), sibi dicat: „Ritus externus sit actio Christi, si infans vivit, — sit autem mea actio seu non sacramentalis, si infans iam obiit", agit nomine Christi, si infans revera vivat; si iam obiit, agit nomine proprio, id est non-sacramentaliter. Conditio autem apposita non debet esse talis, ut intentio sit *irrealis;* secus enim in ordine ontologico nihil efficeret intentio: quare intentio non debet esse haec: „Si infans adhuc viveret, vellem agere nomine Christi". Talis enim intentio obiective nihil determinaret. Propterea intentio debet, quamvis sit conditionata, aequivalenter manere absoluta ita, ut conditione verificata minister revera velit (non: vellet) agere nomine Christi.

Intentionem autem externam, vi cuius actio externa ponenda est, non posse hypotheticam esse, inde liquet, quia absonum est dicere: „Volo ritum externum ponere, si infans adhuc vivit"; nam ritus externus aut simpliciter ponendus aut simpliciter omittendus est.

135. Assertum VIII. *Conditio intentioni internae apponenda debet necessario esse de praeterito aut de praesenti, non de futuro (excepto Matrimonio).*

Explicatio. 1. Conditio de praeterito habetur v. g. in ministro, qui interne dicit: „Si nondum es baptizatus, ego te (nunc) baptizo", — de praesenti, si dicit: „Si adhuc vivis, te baptizo", de futuro: „Si non fies apostata, te (nunc) baptizo". In duobus prioribus casibus sacramentum perficitur nunc, conditione verificata, — non verificata, non perficitur. Si in tertio casu intendit ita, ut dicat: „Volo, ut

sacramentum nunc quidem valeat, at ex tunc, quando apostata evadis, non iam valeat", inepte agit, cum in eius potestate non sit facere, ut Baptismus nunc validus postea fiat invalidus. Item si vult baptizare sub conditione eadem ita, ut dicat: „Volo, ut Baptismus ex tunc incipiat valere, ex quo non fies apostata", agit inepte, quia non potest facere, ut Baptismus tunc incipiat valere, si non iam exsistit. Ergo dicendum eiusmodi conditiones non solum censeri non adiectas, sed ipsam quoque tollere intentionem vere conficiendi sacramentum.

136. Sed neque ad praesentem scientiam Dei recurri potest ad iustificandas conditiones de futuro, dicendo: „Si Deus scit, hunc non esse futurum apostatam, eum nunc volo baptizare". Quamvis intentio talis sit de praesenti, tamen non valet. Nam hoc in casu nullus homo scit, utrum iste valide sit baptizatus necne, consequenter utrum possit suscipere sacramenta cetera, utrum, si recepturus sit Ordinem, valide ordinetur et utrum possint ab eo postea sacramenta valide confici etc. Quae cum sint absona, dicendum est, Deum huiusmodi intentionem non solum prohibuisse, sed etiam ut invalidam declarasse.

137. 2. In Matrimonio exceptio ideo statuenda est, quia sacramentum naturam sequitur contractus, qui bene de futuro esse potest. Hinc qui ineunt matrimonium sub conditione, quod utriusque contrahentis parentes consensum daturi sint, consensum dant de praesenti quidem, ita tamen ut eius *effectus* obtineatur demum conditione impleta; qua impleta, eo ipso adest obligatio ex contractu valido. Neque putandum est, sponsos nunc solummodo inire Sponsalia, id est sese obligare, ut postea, conditione impleta, sibi invicem dent consensum matrimonialem; sed consensus iste iam nunc adest, sed vim suam plene non exserit nisi conditione impleta. Addendum tamen videtur, conditionem additam debere eiusmodi esse, ut eius impletio humano modo postea possit cognosci, aliam autem conditionem reddere consensum nullum, ut si dicant: „Volumus nunc dare consensum matrimonialem sub conditione, si postea neuter damnetur".

138. Assertum IX. *Conditio intentioni internae apponenda, quamvis non semper verbis exprimi debeat, ex mente Ecclesiae in singulis sacramentorum confectionibus concipienda est.* (Fere communis.)

Explicatio. Conditio e Ritualis Romani praescripto verbis exprimi debet in *Baptismo,* si conditionate confertur ob dubium, an subiectum fuerit alias baptizatum (tit. 2, cap. 2, n. 22; cap. 4, n. 40), et in *Unctione,* si dubitatur, an vivat adhuc (tit. 5, cap. 1, n. 14). In aliis casibus conditio verbis exprimi non debet, quamvis prohibitum non sit.

Ex ipso hoc facto, quod saltem interdum conditio verbis exprimenda est, apparet, Ecclesiam supponere, ministrum non habituali intentione secum statuere, se conditionate tantum agere velle nomine Christi, quoties id a concretis adiunctis obiective exigatur; nam expressio conditionis ab Ecclesia pro aliquibus casibus praescripta exigit a ministro iudicium praesens praesentemque voluntatem sacramentum conditionate conficiendi; ergo idem per se valet de omnibus casibus, in quibus sacramenta ex mente Ecclesiae conditionate conficienda sunt.

Nec ullo modo iuvat recurrere ad intentionem Ecclesiae dicendo: „Statuo semel pro semper aut absolute aut conditionate agere iuxta intentionem Ecclesiae, quae vult, ut in particularibus adiunctis potius conditionate quam absolute conficiantur sacramenta". Etenim Ecclesia ostendit, ministrum ipsum in singulis casibus decernere debere, utrum loco absolutae conditionatam confectionem perficere debeat et velit.

Quanquam eiusmodi habitualis intentio ad valorem sufficere videatur, indignum tamen est, ministrum ita mechanice seu ad modum machinae procedere, praesertim cum videamus, tum quoad intentionem externam tum quoad internam ipsum valorem sacramentorum e Christi institutione pendere a modo agendi vere humano, non mechanico.

139. Assertum X. *Intentio non tantum externa, sed praecipue interna versari debet circa subiectum vel obiectum saltem habitualiter determinatum.*

Explicatio. Ratio est, quia circa res indeterminatas in ordine ontologico nihil fieri potest. Ita qui spargit in multitudinem monetas, nulli eas donat, nisi donatarios determinaverit v. g. dicendo: „Illorum sint monetae, qui primi illas ceperint". Pariter qui multitudinem aqua perfunderet dicendo: „Baptizo vos . . . .", nullum vere baptizaret, nisi a se determinatos, v. g. intendendo: „Volo baptizare omnes, ad quos aqua pervenerit" vel „. . . illos decem, ad quos aqua primum pervenerit". Idemque valet de consecratione hostiarum in Missa, dicente Missali Romano (De defectibus in Missa occurrentibus tit. 7. n. 1): „Si quis habeat coram se undecim hostias et intendat consecrare solum decem, non determinans, quas decem intendit, in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio".

Habitualem autem intentionem, qua materia vel subiectum determinetur, sufficere, inde patet, quia non agitur hic de *actione* facienda, sed de determinatione illius, cui aliquod donum ex actione secuturum obveniat; iamvero ad eiusmodi determinationem sufficit determinatio semel facta et postea non retractata, ut si pater hodie filiolo dicat: „Si ex ludo recepero lucrum, totum erit tuum", ex eius parte postea nil aliud requiritur, nisi ut actionem ponat, qua ludendo lucrum capiat.

140. Assertum XI. *Intentio interna non necessario externe manifestari debet.*

Explicatio. Nemine dubitante ille Baptismus est validus, quem confert e. g. pia parvulorum in hospitali publico nutrix, quae, Baptismum occultandi gratia, aquam quasi ad meram corporis lotionem super caput infantuli moribundi spongia movet simulque dicit: „Lavo te in nomine . . .".

Item fieri posset, ut actores in theatro valide baptizarent, si capacitas ex parte subiecti et intentio ex parte ministri (apparenter meram externam formam Baptismi servantis) adessent. Inde etiam est, quod Leo XIII Enc. „Apostolicae curae", 13. Sept. 1896 de ordinationibus anglicanis dicit, intentionem (internam) adesse „censeri", si externe omnia rite fiant.

„Externa" autem intentio vix non semper manifestatur ipso modo agendi, utpote humano, qui modus ab „actione hominis" externe fere necessario differt. Nihilominus accidere posset, ut aliquis minister ad tegendam veri sacramenti confectionem sese simularet mente captum: quo in casu ne externa quidem intentio externe manifestaretur, quin tamen ideo de sacramenti valore dubitari posset.

141. Assertum XII. *Intentio sive externa sive interna non debet esse prudens vel licita ad hoc, ut sacramentum valide conficiatur.*

Explicatio. Illicite et imprudenter ageret, quamvis valide, minister prolem infidelium contra horum voluntatem et sine spe catholicae educationis contra C 750 § 2 baptizando. Illicite item ageret sacerdos extra Missam utramque speciem vel in Missa alterutram tantum speciem consecrans contra C 817: at de valore sacramenti in neutro casu prudenter dubitares.

142. Assertum XIII. *Ad validam sacramentorum confectionem neque habitualis neque actualis requiritur in ministro fides dogmatica* (Quoad Baptismum dogma ex CTr sess. 7, de Bapt. can. 4 [D 860]; quoad cetera sacramenta communis), *quamquam aliquarum rerum revelatarum cognitio est necessaria.*

Explicatio. *Fides dogmatica* ea est, qua homo rei revelatae assentitur propter auctoritatem Dei revelantis; et haec fides nulla ratione ad validam sacramentorum confectionem est necessaria. Quia tamen etiam materiae et formae a ministro ponendae res sunt revelatae, et quia minister eas ponere omnino nequit nisi eas saltem hic et nunc (etsi forte tantummodo ex ore sacramentum petentis) cognoscat, constat de necessitate aliquas res revelatas, etsi non dogmatice credendi, tamen sciendi.

Insuper minister, secus omnino incredulus, ut agere possit humano modo nomine Christi seu Dei, saltem ita in mente sua statuere debet, ut interne dicat: „Si revera Deus exsistit (non: si exsisteret), volo (non: vellem) eius nomine agere". Secus sacramentum peragit nomine proprio, ergo invalide. Hoc autem non provenit ex defectu fidei dogmaticae, sed ex defectu scientiae tali, qui impedit necessariam intentionem.

143. Assertum XIV. *Ad validam sacramentorum confectionem non requiritur in ministro probitas seu status gratiae* (Dogma ex CTr sess. 7, de sacr. in gen. can. 12 [D 855]).

Explicatio. Potest quidem accidere, ut minister pravus ex improbitate nolit sacramentum conficere: at tunc sacramentum est invalidum directe solum ex defectu intentionis. Item accidere potest, ut minister ob peccata sua privatus sit iurisdictione ad absolvendum: sed hoc in casu invaliditas non oritur directe ex peccato, sed ex defectu necessariae potestatis.

144. Assertum XV. *Valida sacramentorum confectio non videtur praesupponere subiectum capax, sed valida est confectio, etsi sacramentum nullum actu producit effectum supernaturalem.*

Explicatio. Solemus quidem ita loqui, ut dicamus sacramentum aliquod esse invalidum, si subiectum sit incapax, seu si sacramentum applicatum in subiecto ne „rem-sacramentum“ quidem protulerit. Qui loquendi modus practice nullum secum fert detrimentum, immo hoc habet commodi, ut per modum brevis locutionis inserviat ad indicandum, quando aliquod sacramentum sit iterandum; iterandum enim esse potest ex utraque causa, tum ex invalida confectione tum ex invalida susceptione. Nihilominus omnino accurata non videtur esse haec locutio, cum valida confectio ut sic haberi possit deficiente valida susceptione. Recte enim S. Thomas (3, q. 60, a. 1 ad 1) docet, sacramentum ideo melius definiri signum quam causam, quod semper significet, non autem semper causet: „non oportet, quod sacramentum semper importet causalitatem“. Hinc etiam Eugenius IV ad Armenos (D 695) nonnisi tria requirit ad valide sacramenta perficienda: 1. materiam, 2. formam, 3. personam ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: „quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum“; ergo non postulat subiectum capax seu actualem alicuius effectus supernaturalis productionem. Et revera sacramentum non est alicuius effectus supernaturalis *productio,* sed signum, quod valet eiusmodi effectum producere, seu sacramenti definitio sumitur ex sacramento in actu primo, non ex eius actu secundo, qui sine effectu esse nequit.

Quare undequaque valida sunt sacramenta Baptismi et Paenitentiae, si conferuntur binis subiectis, quorum alterum est capax, alterum incapax: id est, si duo infantes, quorum alter iam obiit, baptizantur absolute, vel si duo adulti moribundi, quorum alter capax, incapax alter est, absolute absolvuntur: immo in hoc casu minister non debet sacramenta conferre conditionate ita, ut dicat: „Si alter ex apparenter vivis iam obiit, nolo sacramentaliter seu nomine Christi agere“: secus enim impleta conditione (id est altero mortuo) sacramentum neque pro vivo conficit. Sacramentis autem absolute confectis valide ea confecit etiam relate

ad subiecta incapacia. Iisdem dici potest sacramenta etiam „contulisse", si voce „conferre" nonnisi valida confectio cum debita applicatione intellegitur; sin autem voce „conferre" sacramentum intellegitur talis confectio, ut subiectum sacramentum valide susceperit, minister invalide „contulit" sacramentum.

Articulus II.

De sacramentorum collatione legitima.

145. Assertum. *Legitime sacramenta solus minister administrat legitimus.*

Explicatio. *„Illegitimus minister"* ille vocatur, qui, quamquam debita fruitur potestate, tamen per censuram ecclesiasticam vel per irregularitatem ab exercitio potestatis prohibetur. 1. Huc imprimis pertinent acatholici, qui, utpote non pertinentes ad Ecclesiam, Ecclesiae sacramenta legitime non administrant, praeterquam in periculo mortis constitutis. Haeretici, schismatici, apostatae a fide solum tunc ab Ecclesia deputantur ut ministri legitimi, si agitur de moribundo baptizando aut absolvendo aut ungendo iuxta C 2261 § 1 et § 3: aequiparandi enim videntur sacramentorum quod attinet administrationem excommunicatis vitandis vel catholicis sententia positiva excommunicatis.

2. Huc pertinent catholici a) *irregulares* ad normam C 983—991. Etenim irregularitas non tantum susceptionem Ordinis, sed etiam Ordinis suscepti exercitium impedit.

b) Huc pertinent catholici *excommunicati* et *personaliter interdicti* ad normam C 2261 § 1—3 et 2275, 2.

c) Illegitimus minister demum ille catholicus est, qui sacramenta administrando *laedit iura aliorum* ministrorum, imprimis parochi (cfr. C 462), deinde superioris religiosi (C 514 § 1), vel confessarii monialium (ib. § 2), vel cappellani in religione laicali (ib. § 3). *Diaconus* illegitime

administrat Baptismum sollemniter sine licentia iusta de causa, et S. Communionem sine licentia gravi de causa concedenda (C 741 et 845 § 2).

Articulus III.

De sacramentorum collatione licita.

146. Assertum I. *Ex parte ministri, ut sacramentorum collatio sit licita, requiritur status gratiae adeo, ut semper et probabiliter tunc solum graviter peccet in statu peccati sacramenta conferendo, si 1. agit ut minister consecratus, si 2. sacramentum non solum distribuit, sed conficit, 3. cum conscientia peccati mortalis, 4. quin angustiis temporis et necessitatis a recuperatione status gratiae excusetur.*

Epxlicatio. 1. Omnis quidem sacramentum conficiens agit nomine Christi; at specialem iniuriam Christo infert, qui agit *qua* minister consecratus, id est peculiari sacramento seu gratiarum fonte ad digne gerendam Christi personam sanctificatus et deputatus. Hinc ex communi sententia graviter non peccat laicus *Baptismum* vel *Matrimonium* et similiter presbyter vel diaconus Baptismum necessitatis in statu peccati conferendo. Econtra sacerdos semper per se graviter peccat in statu peccati conficiendo *Confirmationem, SS. Eucharistiam, Paenitentiam, Unctionem*, nam in his actionibus semper agit qua consecratus; similiter Episcopus *confirmans* vel *Ordines* Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus conferens.

2. *SS. Eucharistiae distributio* in statu peccati non est peccatum grave, cum sit sacramenti non confectio, sed confecti distributio.

3. Ministrum non graviter peccare, si putat se esse in statu gratiae, liquet.

4. At etiam miseri sui status conscius minister consecratus, si necessitas proximi ita continuo postulat sacramenti confectionem, ut ministro desit tempus ad eliciendam contritionem perfectam, proximo succurrens a gravi excusatur.

147. Nota 1. Status gratiae amissus per se non debet recuperari per Paenitentiam, sed sufficit contritio perfecta, post conatum eam eliciendi serio factum prudenter existimata. Attamen ad conficiendam SS. Eucharistiam status gratiae non solum ratione S. Communionis recipiendae, sed etiam ratione consecrationis acquiri debet per sacramentum Paenitentiae: a qua lege ecclesiastica (C 807) excusatio legitima tunc tantum habetur, si ex altera parte sacerdos celebrare *debet* simulque ex altera parte propter difficultatem confessioni extrinsecam confiteri *nequit*.

148. Nota 2. Ex probabili opinione ille minister, qui in statu peccati constitutus, successive plura eiusdem generis sacramenta conficit, v. g. plures infantes baptizando, plures paenitentes audiendo et absolvendo, plures ungendo, nonnisi unum numero peccatum grave committit.

149. Assertum II.

Ut minister ratione ritus et externarum circumstantiarum licite administret sacramenta, requiritur insuper, ut servet praescripta Ecclesiae (CTr sess. 7, de sacr. in gen. can. 13 [D 856]).

Explicatio. 1. Ne mutet materias formasque sacramentorum: *graviter* peccat, si a) eas mutando cum aliorum scandalo aut deceptione nociva sacramentum reddit certo invalidum (et sic committit simulationem iuxta propositionem ab Innocentio XI neque ob urgentem metum gravem licitam [D 1179]), aut b) si extra casus urgentis necessitatis adhibet materias formasve dubie validas, aut c) si in materiis, formis conditionibusve omittit partes notabiles, quanquam ad validam confectionem non necessarias;

2. Ne omittat vel notabiliter mutet sacramentalia et ceremonias ex Ecclesiae praescriptione in sacramentorum administratione exercenda;

3. Ne sacramenta conficiat vel conferat in locis et temporibus illicitis (de qua re vide supra n. 118);

4. Ne extra casus urgentis necessitatis omittat sacra vestimenta praescripta.

150. Assertum III. *Ut minister ratione subiecti licite administret sacramenta, requiritur, ut subiecti cognoscat capacitatem scientia extra casum necessitatis certa, in casu necessitatis saltem probabili.*

Explicatio. Quoniam subiecto incapaci ne ex urgentissima quidem causa sacramenta praeberi possunt (esset enim gravissima in Christum irreverentia eius nomine velle agere cum scientia, actionem nullum posse habere effectum supernaturalem), minister scire debet, utrum subiectum capax sit necne. *Neque sufficit,* ut *possibilitas* capacitatis adsit (v. c. ob semper possibile miraculum gratiae evocantis subiecti intentionem), cum Christus velit, ut minister procedat humano modo, id est cum scientia humana, quae subiecti capacitatem ex signis humano modo cognoscibilibus adesse iudicare debet; secus etiam absurdissima quaeque, praxi totius Ecclesiae contraria, sequerentur: posset Baptismus praeberi etiam Iudaeo dormienti, qui maximo odio habuit legem Christi usque ad initium somni; possibile namque est, illum per gratiae miraculum in ipso somni initio voluntatem concepisse suscipiendi Baptismum. Item catholicus malus, qui expresse semper respuit sacramentorum susceptionem, posset v. g. dormiens confirmari ob eandem possibilitatem. Ergo saltem extra casum necessitatis, id est extra periculum mortis, subiecti capacitas debet cognosci. Neque tunc sufficit probabilitas, sed requiritur certitudo capacitatis, quia sacramentum ex voluntate Christi extra casum necessitatis semper certo debet producere posse effectum.

151. Si vero subiectum est *in mortis periculo* constitutum et certitudo de eius capacitate haberi nequit, requiritur saltem et sufficit *probabilitas;* nam ipse casus necessitatis excusat periculum irreverentiae in sacramentum eiusque auctorem (dummodo hoc periculum aut plene tollatur aut saltem minuatur per sacramenti collationem conditionatam). At etiam in mortis periculo *mera possibilitas* capacitatis ad licite dandum sacramentum *non sufficit* iuxta Ecclesiae praxim, sed requiritur omnino aliqua probabilitas, ut vel ex C 752 § 3 elucet, quo non solum positive enuntiatur, quid fieri licite possit, sed etiam negative implicite statuitur, quid facere non liceat: „Quod si Baptismum ne petere (id est intentionem suscipiendi seu capacitatem proximam ostendere) quidem queat, sed vel antea vel in praesenti statu *manifestaverit* aliquo probabili modo intentionem illum suscipiendi, baptizandus est sub conditione; et si deinde convaluerit et dubium de valore Baptismi collati permaneat, sub conditione Baptismus rursus conferatur". Similiter C 942 de catholico, qui impaenitens in manifesto peccato mortali contumaciter perseverat, statuitur, eum non esse muniendum Unctione ob incapacitatem (seu ob defectum intentionis) saltem praesumptam, etsi certum est, eiusmodi catholicum, praesertim, si alii pro eo preces ad Deum fundant, per gratiae miraculum sensibus destitutum interius intentionem suscipiendi Unctionem potuisse elicere: haec mera possibilitas, immo (ob preces fusas) tenuis quaedam spes capacitatis ex mente Ecclesiae non sufficit ad sacramentum licite praebendum. Additur: „quod si hoc dubium fuerit, conferatur sub conditione": dubium autem habetur prudens, si pro capacitate militat positiva at non convincens ratio: huiusmodi autem ratio positiva, iterum non est mera possibilitas internae conversionis, sed manifestatio alicuius signi externi, ex quo ad intentionem internam cum aliqua probabilitate concludi possit.

Ex mente igitur Ecclesiae etiam in mortis periculo requiriter positiva aliqua probabilitas (desumpta ex positivo signo externo) capacitatis subiecti ad hoc, ut minister

licite procedat ad sacramentorum collationem. Quodsi eiusmodi probabilitas ex signis externis non habetur, sacramenta non sunt praebenda, quamvis forte capacitas non cognita adsit. Nec putat Ecclesia, id sibi vitio posse verti, si sacramentis non muniat eos, qui forte obiective quidem capaces sunt, ut tales autem exterius scientia humana ne probabili quidem signo cognoscuntur.

Unde dicendum videtur, nullum *acatholicum* posse in mortis periculo sive absolvi sive inungi, nisi positivo aliquo signo saltem probabili manifestaverit, velle se catholicorum sacramenta recipere.

152. Assertum IV. *Si quando sacramenta conferenda sunt dubie capacibus, ea non absolute, sed sub conditione „si capax es“ confici debent.*

Explicatio. Quoniam irreverentia in sacramenta eorumque auctorem et agentem principalem quam maxime cavenda est, et quoniam irreverentia haec committitur, si minister agere vult personem Christi, quamvis probabile sit, illam actionem nullum producere effectum supernaturalem, id est ne „rem-sacramentum“ quidem, ideo in confectione habere debet intentionem „internam“ conditionatam, quod sub hac tantum conditione velit personam agere Christi, si inde effectus aliquis sequi possit, quod autem secus cum intentione mere „externa“ agere velit, id est nomine proprio. Et hac ratione omnis cavetur irreverentia, et simul subiecto succurritur, quantum sub datis circumstantiis fieri potest, cum spe fore, ut sacramentum, si forte nunc valeat et subiectum nunc forte indispositum postea obicem sit remoturum, non solum nunc „rem-sacramentum“, sed postea etiam ipsam „rem“ sit producturum (v. quae supra n. 108 sqq. de sacramentorum reviviscentia dicta sunt.)

153. Assertum V. *Ut minister ratione subiecti licite administret sacramenta, requiritur, ut subiecti dispositionem extra necessitatis casum certo, in necessitatis casu probabiliter cognoscat, in mortis vero periculo saltem post collationem adfore sperare possit.*

Explicatio. Cum sancta iuxta mandatum Domini non sint danda canibus (Mt 7, 6), et cum ex virtute religionis vitanda sit irreverentia in sacramenta eorumque auctorem, et cum ex virtute caritatis per se ne materialiter quidem cooperari liceat ad aliorum peccata, minister sacramenta per se non potest licite praebere nisi dispositis. Neque pro ministro per se sufficit scire subiectum *posse* esse dispositum, sed dispositionem ex signis externis cognovisse debet: nam humano semper modo in sacramentorum administratione procedendum est.

154. *Extra casum necessitatis,* in qua subiectum versetur, scientia de eius dispositione debet esse positive certa et probata quoad *Baptismum* (C 752 § 1) et *Ordinem* (C 974 § 1), prudenter existimata quoad *Paenitentiam* (C 870); rationabiliter supposita quoad *Confirmationem, S. Communionem, Unctionem, Matrimonium:* rationabiliter autem supponi tunc dicitur dispositio, si contra dispositionem nullum militat signum positivum. Eiusmodi autem signum positivum adest, si subiectum ex signis externis constat esse peccatorem seu grave commisisse peccatum, quod nondum deletum sit legitime. Quibus in casibus sacramenta sunt neganda, salvo tamen bono communi et salva fama, si ea gaudet, peccatoris sacramenta petentis. Unde ita habet C 855: „Arcendi sunt ab Eucharistia publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti manifestoque infames, nisi de eorum paenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint. — § 2. Occultos vero peccatores, si occulte petant et eos emendatos non agnoverit, minister repellat; non autem, si publice petant et sine scandalo ipsos praeterire nequeat".

155. *In casu autem necessitatis* etiam dubie disposito sacramenta dari possunt, quando videlicet sine notabilis quoad famam vel bona fortunae damni periculo susceptio sacramenti omitti nequeat: qua necessitate periculum irreverentiae in sacramenta eorumque auctorem excusatur.

156. Demum *ita urgente periculo mortis,* ut ne positiva quidem probabilitas debitae dispositionis haberi queat, sufficit dispositio praesumpta, immo sufficit spes aliqua, quod dispositio requisita demum post sacramentum valide susceptum procuretur. Ratio est mitissimi Domini nostri sacramentorum constitutio et oeconomia talis, ut sacramenta infructuose seu cum obice recepta postea obice remoto *reviviscant;* quod signum est, velle Christum, ut saltem mortis periculo urgente sacramenta etiam indispositis praeberi possint, dummodo sint capaces et sic non sint v. g. de iis, qui impaenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant. Et hoc valet maxime de sacramentis ad salutem necessariis, puta Baptismi et Paenitentiae et Unctionis, necnon quoad concubinarios de Matrimonio.

157. Assertum VI. *Si quando sacramenta conferenda sunt capacibus quidem, sed probabiliter vel certo indispositis, ea nunquam sub conditione, sed — ad servandam reviviscentiae possibilitatem — semper absolute confici debent.*

Explicatio. Si sacramenta sub conditione „Si es dispositus" conficiuntur, deficiente dispositione sacramenta non exsistunt, non sunt actiones Christi, sed mere externi ritus, nullum in subiecto effectum producunt supernaturalem, ne „rem-sacramentum" quidem: hinc *reviriscere nequeunt* adeoque deest ipsa illa ratio, ob quam dubie vel certo indispositis ex mitissimi Christi intentione sacramenta utcumque praeberi possunt.

Articulus IV.

De sacramentorum collatione obligatoria.

158. Assertum I. *Minister, debita fruens potestate, obligatione tenetur sacramenta toties quoties rationabiliter petenti conferre.*

Explicatio. *„Petere nunc"* sacramentum ille dicitur, qui intentionem suam sacramenta nunc suscipiendi aliquando manifestavit neque retractavit. Quae intentio nunc sacramenta suscipiendi potuit vel potest esse aut explicita aut implicita; ita v. g. implicite ille pro nunc petit S. Communionem, qui cum aliis communicaturis accedit ad scamnum communicantium; item ille, qui in Ecclesia mansit catholica usque ad mortis periculum, ipsa hac perseverantia implicite ostendit voluntatem, in hoc mortis periculo suscipiendi moribundorum sacramenta Paenitentiae, Unctionis, Viatici.

„Rationabiliter" ille petit sacramenta, qui (praeter capacitam) relative debitam habet dispositionem, legitimitatem, licentiam quoad locum et tempus, et ex motivo agit honesto. Qua de re actum est supra n. 117 sq. Irrationabiliter vero non solum ille petit, qui deficit in dispositione, legitimitate, licentia quoad locum et tempus, sed ille quoque, qui importuno tempore sine necessitate petit, ut si qua devotula summo mane petit saepe Paenitentiam sine ulla necessitate.

159. Assertum. II. *Obligatio, qua parochi aliique, quibus cura animarum vi muneris est demandata, gravis est iustitiae sive per se sive per alium sacramenta rationabiliter petentibus conferendi.*

Explicatio. Haec obligatio C 892 enuntiata de Paenitentia, etiam quoad cetera exsistit sacramenta, et expresse C 939 statuitur quoad Unctionem. Conferenda ergo sunt

sacramenta a dictis ministris iuxta regulas iustitiae, quarum praecipuae ita enuntiari possunt:

1. Iustitia obligat *sub gravi,* etiam cum *gravissimo* temporali *incommodo* proprio ad sacramentum mortuorum conferendum alteri (catholico), qui in *gravissima versatur spirituali necessitate,* ex qua videlicet ipse se voto sacramenti eripere non potest.

Gravissima autem necessitas spiritualis adest in peccatore moribundo, qui perfectam contritionem elicere nequit, ut est infans nondum baptizatus vel peccator adultus rationis usu destitutus.

2. Iustitia obligat *sub gravi,* etiam cum *gravi* (quamvis non gravissimo) *incommodo* proprio temporali ad sacramenta respective necessaria conferenda illi, qui in *gravi nesessitate* est constitutus, unde se ipse nonnisi cum magna difficultate eripere potest.

Gravis autem necessitas spiritualis adest in homine, qui statum gratiae aut difficulter recuperare aut conservare potest, ut rudes vel peccandi occasionibus obnoxii.

3. In periculo damni communis inde secuturi sacramentorum collatio ne ex iustitia quidem urget (vide supra n. 74).

160. Ut pastor sacramenta administrare debeat cum proximo, gravissimo et certo *periculo vitae temporalis,* requiritur a) moralis certitudo de commissi sibi hominis necessitate gravissima, b) moralis certitudo seu spes moraliter certa successus, quae deest, si praevidetur operam probabiliter effectu carituram esse vel ipsum ministrum quavis de causa a sacramentorum collatione impeditum iri, c) moralis certitudo, quod ex administratione vel eius conamine non sequantur mala maiora, i. e. communia, ut christianorum persecutio vel ministrorum carentia in aliqua regione.

161. Assertum III. *Obligatio, qua ministri non „curati" sacramenta conferre debent, est caritatis, non autem iustitiae.*

Explicatio. Haec caritatis obligatio expresse effertur C 892 § 2 quoad Paenitentiam et C 939 quoad Unctionem, at etiam de ceteris asserenda est sacramentis. Regulae caritatis praecipuae ita enuntiari possunt:

1. Caritas *sub gravi* obligat, (aeque ut iustitia) etiam cum *gravissimo* temporali incommodo proprio ad sacramenta mortuorum conferenda alteri (catholico), qui in *gravissima* (extrema) *necessitate* spirituali versatur, ex qua videlicet ipse se eripere non potest.

2. Caritas obligat *sub gravi* ad sacramenta respective necessaria conferenda illi, qui in *gravi necessitate* constitutus est, unde se nonnisi cum magna difficultate eripere potest, si minister facile seu *sine gravi incommodo* proprio id praestare potest.

3. In periculo damni communis inde secuturi sacramentorum collatio neque ex caritate urget.

162. Assertum IV. *Sacramenta iterandi licentia tunc tantum adest, si de valore, non autem, si mere de fructuositate sacramenti confecti et suscepti dubium exsistit prudens.*

Explicatio. *„Iterari"* proprie sacramentum non solet dici, si utcunque eidem subiecto sacramenta frequentanti iterum confertur, sed si eidem iterum datur ob aliquem defectum in collatione vel susceptione commissum. Eiusmodi autem iteratio nunquam licita est, si de valore confectionis et susceptionis nullum fundatum habetur dubium: etenim eiusmodi sacramenta aut fructuosa sunt aut, si infructuosa, obice (durante „re-sacramento") remoto *reviviscunt.* Ergo de iteratione sermo esse nequit, nisi certitudo aut dubium habeatur de valore sive confectionis sive susceptionis.

163. Assertum V. *Sacramenta invalida aut dubie valida iterandi obligatio habetur sive ex positivo Ecclesiae praecepto sive ex lege iustitiae aut caritatis erga subiectum vel erga societatem.*

Explicatio. *Positiva lex* iterandi sacramenta dubia exsistit quoad Baptismum, Confirmationem, Ordinem (C 732 § 2). *Iustitiae* obligatio gravat eum ministrum, qui ex iustitia tenetur sacramenta valide conferre: si autem susceptio invalida fuit (proinde ex defectu capacitatis subiecti), de iustitiae obligatione non ita constat. Caritas autem semper obligat iuxta regulas caritatis supra datas.

Interdum autem ipsum *bonum commune* omnino, etiam cum gravi ministri incommodo, ad iterationem vel procurationem iterationis obligat, ut si agitur de dubie valido Ordine Presbyteratus vel Episcopatus; et cum demum ex dubie valido Baptismo etiam bonum commune in periculum vocari possit (si agitur de mare, qui postea Ordines Presbyteratus vel Episcopatus suscepturus est), etiam Baptismi certitudo respectu boni communis, saltem in maribus, omnino procuranda est.

164. Assertum VI. *Sacramenta nunquam absolute, sed semper sub conditione iterantur.*

Explicatio. Si sacramentum antea invalide confectum aut susceptum fuit, postea non proprie „iterari", sed nunc demum valide confici aut suscipi dicitur, quamvis vera habeatur iteratio ipsius sacramenti, si tantummodo susceptio, non autem confectio invalida fuit.

Iteratio proprie dicta supponit sacramentum probabiliter iam valide susceptum et ideo solum fit, ut dubium tollatur et de valida susceptione habeatur certitudo. Atqui hic finis certo obtinetur, si sacramentum sub conditione conficitur; reverentia autem sacramento eiusque auctori et agenti principali debita exigit, ut sub conditione conferatur, ne videlicet minister agere nomine Christi velit, si ex actione nullus sequatur effectus.

165. Assertum VII. *Subiecto illegitimo, quamvis disposito et moribundo, praesertim apostatae a fide, haeretico, schismatico, sacramenta neganda sunt, quamdiu ipsum subiectum ab Ecclesia illegitimum esse censetur.*

Explicatio. Catholici per censuram excommunicationis aut interdicti personalis a iure participandi in sacramentis exclusi, antequam ad sacramenta (et ipsam Absolutionem sacramentalem) admittuntur, a censura absolvendi sunt. Et hoc valet etiam quoad illos, qui in mortis periculo versantur: quo in casu omnis sacerdos eos a censuris et postea a peccatis absolvendi habet facultatem (C 882).

166. Relate ad acatholicos baptizatos valet C 731 § 2: „Vetitum est sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint". In mortis articulo constituti apostatae, haeretici et schismatici tunc non iam ab Ecclesia illegitimi censentur quoad sacramenta suscipienda, si mentis compotes meliori quo fieri potest modo, errores reiciunt et professionem fidei faciunt, vel si usu rationis aut sensuum destituti sunt, quin tamen antea ita sacramenta catholica respuerint, ut prudenter ea velle iudicari nequeant.

Et hoc ipsum videtur de iis etiam valere haereticis et schismaticis, qui decimum quartum aetatis nondum compleverunt. Quamvis enim hi ab Ecclesia nec censeantur nec praesumantur esse haeretici aut schismatici *formales* (et propterea in reditu ad Ecclesiam abiurationem haeresum et schismatis facere non teneantur), nihilominus in foro externo tractantur ut haeretici et schismatici, et propterea ad sacramenta non videntur admitti posse, nisi aliqua ratione fidem in Ecclesiam catholicam manifestaverint (quae fidei professio etiam in eorum reditu ad Ecclesiam semper exigitur), ea saltem ratione, ut ostendant voluntatem in Ecclesia catholica moriendi. Si autem hoc ob defectum usus rationis vel sen-

suum in mortis periculo non possunt, tractandi sunt ut aetate provectiores.

167. Assertum VIII. *Obligatio conferendi catholica sacramenta moribundis acatholicis practice non videtur existere, nisi antea ostenderint aut nunc ostendant explicite voluntatem catholice moriendi.*

Explicatio. Catholica moribundorum sacramenta sunt Paenitentia, Unctio, Viaticum. Iamvero Viaticum ut specialissimum unionis in fide symbolum nunquam datur nisi ei, qui clare exhibet fidem in Ecclesiam catholicam. Paenitentia autem et Unctio plerumque sunt simpliciter invalida ob incapacitatem subiecti ex defectu intentionis haec sacramenta suscipiendi sive utcunque sive saltem ex manu sacerdotis catholici. Insuper sacramentum Paenitentiae fere certo invalidum erit ob defectum confessionis, nisi hic et nunc saltem in genere confessio fiat sacerdoti: nam vita haeretici praeterita sine ulla probabilitatis umbra consideraretur tanquam confessio in ordine ad claves (quae interpretatio solum in catholico et forte in schismatico tenuem aliquam habet probabilitatem). Aliud dicendum forte est de Baptismo haeretici illius, qui in sua secta usque ad vitae finem permansit adeoque ut christianus, id est saltem ut baptizatus, mori voluit. Quare cum hisce temporibus haereticorum Baptismus saepissime ut dubius considerari debeat, moribundus haereticus, saltem si nulla affulget spes reconvalescentiae (cum periculo, ut a catholico baptizatus extra catholicam Ecclesiam vitam degat), sub conditione baptizandus esse videtur (remoto periculo damni maioris).

168. De cetero obligatio sane incumbit caritatis etiam catholico sacerdoti vel cuicunque alii catholico curandi, ut apostata, haereticus vel schismaticus moribundus ea faciat, quae ipsi certo prodesse possunt: ut videlicet ducatur suaviter ad fidem dogmaticam, spem et contritionem perfectam (in qua votum Paenitentiae salvificans, quamvis ad validam Paenitentiae susceptionem non sufficiens, includitur).

Index rerum systematicus.

Indicantur numeri marginales.

Actus primus et secundus sacramenti 51
Addictio Deo Trino ut effectus generalis Baptismi 8
Adunatio totius hominis ad totum Christum ut effectus Eucharistiae 10
Aggregatio in regnum Christi per Baptismum 8
— perficitur Confirmatione 9
Apostata a fide subiectum sacramenti illegitimum 115 165 sqq.
Apostolatus laicorum: effectus et finis Confirmationis 9
— ministrorum sacrorum: effectus et finis Ordinis 13
Assimilatio ad Christum ut effectus generalis Baptismi 8
— ut effectus Eucharistiae 10

Baptismus: effectus generales et particulares 8; finis proximus et ultimus 8
— res et verba, materia et forma 40 45
— necessitas 61 67
— reviviscentia 109 sq.

Capacitas recipiendi sacramenta 80 sqq.
— formaliter spectata 80
— materialiter spectata 81
— remota et proxima 97
— cognoscenda a ministro 150
Caritatis regula 161
Causalitas sacramentorum 34 ad 37, moralis 35, iuridica 36, intentionalis 36, physica 37
Character sacramentalis imprimitur Baptismo 8, et Confirmatione 9, et Ordine 13
Christus ut agens in sacramentis 19—22 33
Communio: eius effectus et finis 10, necessitas 62
Conditio in sacramenti confectione 134 sqq.; in Matrimonio 137; „si capax es“ 152
Conditiones valoris ab Ecclesia sacramentis additae 48 sqq., ab auctoribus assertae 52
Confectio (collatio) sacramenti valida 121 sqq., ex parte ministri 121 sqq., ex parte materiae et formae et conditionis valoris 124 sq.; ex parte actionis qua humanae 126, qua Christi 130 sqq., — legitima 145, licita 146 sqq.
Confirmatio: effectus generalis 9, particulares 9; finis proximus 9; res et verba, materia et forma 40 45, necessitas 62, reviviscentia 108 sq.
Corpus Christi mysticum: ei homo per Baptismum incorporatur 8
Corpus hominis sanctificatur per Eucharistiam 10, sanatur interdum per Unctionem 12

Definitio sacrament. metaphysica 16—17, physica 18
Diaconatus, species Ordinis 1
Dispositio, quid sit 98, in infante 99, in adulto 101 sq., pro sa-

cramentis vivorum et mortuorum 101 sqq., substantialis et accidentalis 103, cognoscenda a ministro 153

Ecclesia operans in sacramentis per denominationem extrinsecam 33; habet varias potestates vicarie divinas 38; potestas circa sacramenta quoad conditiones valoris 48; nequit sacramenta abrogare 70, neque ab eorum usu dispensare 71; Ecclesiae obligatio dandi sacramenta 72 73, restricta 74
Effectus sacramentorum a finibus distincti 32, — quid sit effectus 3; effectus omnium communes 4—5, singulorum proprii 4 8—14; proprii generales 7—14, proprii particulares 7—14
Episcopatus: species Ordinis 1
Essentia physica sacramentorum 41, metaphysica 16 sqq.
Eucharistia cum duabus sacramentorum speciebus 1; „in fieri", „in esse", „in suscipi": effectus et fines 10; „in suscipi" primo producens ius ad gratiam 4; „in fieri" res et verba, materia et forma 40 45; necessitas 62 68; reviviscentia 108 sq.
Extrema Unctio: vide Unctio

Fides a confirmato profitenda, tuenda, propaganda ex officio 9; dogmatica non necessaria ad validam sacramenti susceptionem 82, collationem 142
Finis sacramentorum distinctus ab effectibus 3; proximus 3, ultimus 3; omnium communes 6, singulorum proprii 7—14, partim „res contenta", partim „res non contenta" 30
Forma ut pars constitutiva sacramentorum 42; singulorum sacramentorum 40; eius constantia 44, a Christo determinata 47

Genera et species sacramentorum 1
Gratia sanctificans sacramentorum effectus 5. Gratiae status quoad sacramenti susceptionem 99 sq., collationem 143

Haereticus subiectum sacramenti illegitimum 115 sq. 165 sqq.

Informia sacramenta 106
Intentio ministri causat, non constituit sacramentum 53; — eius divisio ratione sui 127, ratione obiecti intenti 128 131; est externa vel interna 126 sqq.; absoluta vel conditionata 134 sq.; in singulis casibus concipienda 138; quando manifestanda 140; prudens et licita 141
Intentio subiecti: distinctio a voto 64—66; quae ad capacitatem requiratur 83 sqq.; eius divisiones 84; implicita 85 92, interna 86, determinata 91 sq., conditionata 94, habitualis 95, neutralis 95, interpretativa in Matrimonio 96 133
Iteratio sacramenti 162 sqq., licentia 162, obligatio 163, modus 164
Iuridica indoles sacramentorum 19—22
Ius ad gratiam sacramentorum effectus 4; ad gratias actuales 5

Iustitiae regula 159

Legitima sacramenti susceptio 114, collatio 145

Materia ut constitutiva pars sacramentorum 42; singulorum sacramentorum 40; remota et proxima 43; eius constantia 44 sq., a Christo „in specie" instituta 47
Matrimonium: effectus generalis 14, effectus particulares 14, fines 14; — ut actio Christi 21; res et verba, materia et forma 40—42 45; necessitas 63 — intentio requisita 96 133; reviviscentia 108 sq.
Minister sacramenti 121 sqq. confectionis validae 121 sqq., ratione intentionis 126 sqq., externae 126—129, internae 130 sqq.;
— collationis legitimae 145, licitae 146 sqq.
Merita reviviscunt per Paenitentiam 11 113

Necessitas: notiones 54 sqq.,
— medii et praecepti 55; alia ad recipiendam, alia ad conservandam gratiam 57; alia absoluta, alia hypothetica 58; „voti" alia a necessitate „rei in voto" 59; — sacramentorum 60 sqq.
Negatio sacramenti subiecto incapaci 150 sq., indisposito 153 sqq., illegitimo 165 sqq.
Numerus sacramentorum 1

Obligatio conferendi sacramenta 158 sqq., vi iustitiae 159 sq., vi caritatis 161; quoad acatholicos 167 sq.
Opus operantis 31, opus operatum 31

Ordo: sacramentum cum tribus sacramentorum speciebus 1; eius effectus generalis 13, effectus particulares 13, fines 13; res et verba, materia et forma 40 45; reviviscentia 108 sq.

Paenitentia: effectus generalis 11, effectus particulares 11, finis proximus 11; primo producens ius ad gratiam 4; ut actio Christi 21; — res et verba, materia et forma 40 45, essentia physica 41—42, — necessitas 61; reviviscentia 108 sq.
Peccata: venialia remittuntur per Eucharistiam 10, gravia per Paenitentiam 11
Perseverantia in bono ut finis Communionis 10
Presbyteratus ut species Ordinis 1
Probitas ministri quoad validam confectionem 142, quoad licitam 146 sqq.

Regeneratio effectus particularis Baptismi 8, non cognoscibilis ex solo ritu sensibili 28
Regnum Chr. per sacramenta 15
Res et verba in sacramentis 39 —40
„Res-sacramentum" 29
— quoad subiecti capacitatem 80
Reviviscentia meritorum: effectus Paenitentiae 11; — alia ac reviviscentia sacramentorum 113
Reviviscentia sacramentorum, quid sit 108; in omnibus sacramentis 108; e quibus „res-sacramentum" receptum fuit 109; — dispositio requisita 110; — unica eaque durante „re-sacramento" 111 sq.

„Sacramentum tantum“ 29
Sacrificium Missae per symbolismum Eucharistiae 26
Schismaticus, subiectum sacramenti illegitimum 115 sq. 165 sqq.
Septenarius numerus sacramentorum 1
Species et genera sacramentorum 1
Spiritus Sanctus: confertur Confirmatione 9, et Ordine 13; eius dona dantur Confirmatione 9. et augentur Ordine 13
Subiectum sacramenti capax 80 sqq., dispositum 98 sqq., legitimum 114 165, licitum 117 sq., determinandum 139
Substantia sacramenti 49, differens a valore 49
Susceptio sacramentorum 75 sqq., spiritualis seu „in voto“ 76 sq., realis seu „in re“ 79; valida 80 sqq., ex parte intentionis 83 sqq.; fructuosa 98 sqq., infructuosa 104 sqq.; quoad omnia sacramenta 105; sacrilega et neutralis 107, legitima 114
„Suscipi“: Eucharistia „in suscipi“ ut applicatio Eucharistiae „in esse“ 4 16
Symbolismus sacramentorum 23—30, primarius 25, secundarius 26—27

Unctio Extrema: effectus generalis 12, effectus particulares 13, finis proximus 12; res et verba, materia et forma 40 45; necessitas 62; reviviscentia 108 sq.
Unitas in fide sacramentis significata 27

Validum sacramentum, quid sit 51, in actu primo et secundo 51; in subiecto incapace 144
Valor sacramenti differens a substantia 49
Vicaria actio Christi 19 sqq., in diversis sacramentis 21
Vinculum coniugale firmatur sacramento Matrimonii 14
Vita hominis supernaturalis per sacramenta 15; christiane ducenda ob Baptismum 8
Votum sacramenti 64—66, distinctio ad intentione ib., in quo consistat 78

Typis et sumptibus Fel. Rauch item prodiit:

J. B. Umberg, S. J. **Exerzitien und Sakramente.** Beiträge zu wichtigen Betrachtungen des Exerzitienbüchleins. 1927. In-8°, 104 p. M. 1, 50.

Partant du principe fondamental des Exercices de saint Ignace: „Homo creatus est, ut laudet Deum Dominum nostrum, ei reverentiam exhibeat eique serviat", l'auteur montre que le même principe fondamental est appliqué dans la „création surnaturelle" ou l'élévation à l'ordre de la grâce où l'homme est appelé à la vie par le baptême et où la vie est entretenue et nourrie par les autres sacrements. L'opuscule est surtout écrit pour le conducteur des exercices spirituels, mais le retraitant lui-même, prêtre ou laïque, en tirera lui aussi le plus grand profit. L'auteur, professeur de la partie sacramentaire de la dogmatique, se basant sur la longue expérience de son enseignement, montre que les sacrements n'ont pas seulement une efficacité „ex opere operato", mais ont aussi, de par la volonté du Sauveur, une valeur psychologique inappréciable, valeur qui dans la vie pratique peut produire plus de fruits que généralement c'est le cas. Tous ceux qui liront cet opuscule en seront convaincus et sauront gré à l'auteur d'avoir ouvert pour leur vie surnaturelle des vues inconnues ou insoupçonnées; ils se convaincront aussi que la „piété ignacienne" n'est pas l'ennemie de la „piété liturgique", mais contribue à donner à celle-ci une richesse à laquelle, seule, elle n'atteindrait pas.

Ephemerides Theologicae Lovanienses 4 (1927) 312 sq.

Reçus avec intelligence et ferveur, les sacrements sont des agents psychologiques puissants de vie religieuse. A coup sûr, une âme pleinement fidèle à la grâce du baptême, deviendrait sainte. Par ailleurs, une expérience séculaire et plus qu'individuelle constate que les Exercices de saint Ignace sont un tonifiant sans pareil de cette même vie religieuse. „Si je faisais donc entrer de dogme sacramentel dans les Exercices, mais en respectant leur armature psychologique si forte et même leur matière", s'est dit le P. U. et de cette „lumière", car c'en fut une, est né ce supplément au Directoire; je puis appeler ainsi ce précieux livret que son auteur destine avant tout aux directeurs de retraites. Le lecteur y trouve des vérités tirées du dogme sacramentel mais adaptées au cadre général des exercices et même au plan des méditations particulières (fin de l'homme — baptême; règne du Christ — confirmation, mariage, ordre; contemplatio ad amorem — Eucharistie); on peut, au choix, les introduire dans la méditation ignatienne ou en faire matière à répétitions. Le livre n'est pas né du mouvement liturgique mais d'un long enseignement de la théologie des sacrements. L'auteur estime même rendre un bon service au mouvement liturgique de tendance saine, celui qui répond aux rudes exigences de la vie, „qui veut l'action et le sacrifice et n'est point satisfait d'une expérience purement interne aux visées strictement contemplatives". Le P. U. ne se trompe pas lorsqu'il estime avoir, par ces pages si doctrinalement solides, réalisé un progrès en harmonie parfaite avec les intentions de l'auteur des Exercices.

François Jansen, S. I., Nouvelle Revue Théologique 54 (1927) 394.

Die „Beiträge“ enthalten — was aus dem Titel nicht zu ersehen — ebenso gründliche wie ansprechende Darlegungen aus der Sakramentendogmatik, als deren hervorragender Kenner sich U. schon durch so manche Veröffentlichung erwiesen hat. Die übernatürliche Weihe und Bindung an Gott durch die Taufe wird für die Vertiefung des Exerzitienfundaments nutzbar gemacht. Der Betrachtung vom Reiche Christi mit ihrem Ruf zur Heeresfolge in verschiedenem Grade dient die Lehre von der Firmung, der Ehe und dem Weihesakrament. Die Eucharistielehre endlich bietet die schönsten Gedanken, um die „Beschauung zur Erlangung der Liebe“ zu befruchten. Möchten die Exerzitienwahrheiten stets in einer dogmatisch so solid fundierten Weise vorgelegt werden!

Prof. Herm. Lange, Scholastik 2 (1927) 620 f.

Dieses kleine Büchlein ist schon deshalb überaus zu begrüßen, weil hier ein Fachtheologe sein reiches Wissen in den Dienst der praktischen Seelsorge stellt. Die Arbeit stammt aus dem Gedanken, daß die heiligen Sakramente neben der rein ex opere operato erfolgenden Wirkung sich auch durch ihre psychologischen Werte als lebendige Kraft in dem wirklichen Leben erweisen müssen. Ist das nun tatsächlich der Fall? Wie viele Christen sind es, die in ihrem Leben der Taufe jene starken, psychologisch so wirksamen Antriebe entnehmen, die sie zu geben imstande und nach dem Willen Christi zu geben auch bestimmt ist? Nicht anders ist es wohl mit dem Sakrament der heiligen Firmung, der Priesterweihe, der Ehe und der Eucharistie.

Die Erwägungen über die Sakramente sollen in den Gedankengang der Exerzitienbetrachtungen einbezogen oder in der Form von Wiederholungen ihnen beigegeben werden. Dem Kenner der Exerzitien wird dieser organische Einbau sofort deutlich durch die Titel der einzelnen Abschnitte: „Exerzitienfundament und Taufe“, „Reich Christi und Firmung“, „Reich Christi und Ehe“, „Reich Christi und Weihesakrament“, „Beschauung zur Erlangung der Liebe und Eucharistie“.

Wenn das Werkchen auch an erster Stelle für Exerzitienleiter bestimmt ist, so bietet es doch allen reichste Anregung; namentlich dem Priester, der selber die heiligen Sakramente so häufig empfängt und sie so vielen spendet, wird es von größtem Werte sein: es führt ihn von selber wieder ein in das lebendige Bewußtsein von der Würde und Heiligkeit, der Kraft und dem Segen dieser heiligen Gnadenmittel, die zugleich die Hauptmittel seiner eigenen Seelsorge sind.

P. Jos. Grendel, Theol.-prakt. Quartalschrift (Linz) 80 (1927) 853.

Wie der Titel selbst klar und deutlich angibt, will das Büchlein nur Beiträge zu wichtigen Betrachtungen des Exerzitienbüchleins bieten. Daß es die Liturgie stark und geschickt heranzieht, wird jeder, nicht nur der Freund der Liturgie, herzlich begrüßen und wünschen, daß die Liturgie viel mehr als bisher bei den Exerzitien herangezogen und durch sie erreicht wird, daß das ganze Leben mehr im gottesdienstlichen Geiste gelebt und alle liturgischen Mittel eifriger und im Geiste der Kirche benutzt werden, wie es der hl. Ignatius selber in seinem Exerzitienbüchlein angibt.

Hugo Dausend, O. S. Fr., Liturgische Zeitschrift 2 (1929) 159.

ROMA (117)

236
UM1

4520

UMBERG, JOHANNES, B., S.J.
AUTHOR

Systema Sacramentarium
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
SEP 12	Logan	
	Meerni	
	Mann	
	[illegible]	

4520